R. P. I. M. RAMÍREZ, O. P.

DE AUCTORITATE DOCTRINALI S. THOMAE AQUINATIS

SALMANTICAE
APUD SANCTUM STEPHANUM
APARTADO 17
1952

BT
88
.R3
1952

NIHIL OBSTAT
FR. V. BELTRAN DE HEREDIA, O. P.
FR. A. BANDERA, O. P.

IMPRIMI POTEST
FR. ANICETUS FERNANDEZ, O. P.
Prior Provincialis

IMPRIMATUR
† FR. FRANCISCUS, O. P.
EPISCOPUS SALMANTINUS
Salmanticae, 22 Nov. 1951

91865

PRAEFATIO

Quae in hac Opella continentur, ea ipsa sunt, paucis adiectis, ultra Appendicem, quae anglice, Washingtonii, publici iuris fiunt, in Commentario *The Thomist*, pro quo, eius Directione rogante, conscripta erant.

Nonnullis tamen amicis, qui textum originalem latinum inspexerunt, utile visum est et hunc typis hispanicis separatim edere. Quibus, annuente Directione praedicti Commentarii, libenter acquiescimus, servata tamen propria indole textus primigenii, quae numeris omnibus absolutam rei tractationem non permittebat. Complura enim testimonia Conciliorum Generalium, Episcoporum, Religiosorum Ordinum, Universitatum virorumque illustrium de industria omittimus, ne nimio documentorum pondere amplius opprimeretur benevolus lector: eo vel magis quod allata testimonia Romanorum Pontificum rem vi-

dentur sufficienter evincere. Horum nonnulla potiora qui ex integro videre cupit, adeat Appendicem ubi, postulantibus amicis, ea subnectimus, veluti *Documenta*.

Hisce autem in afferendis et interpretandis documentis hoc unum prae oculis semper habuimus, ut recentiorum maxime Pontificum, a Beato nempe Pío X usque ad Pium XII, nullum omitteretur essentiale testimonium, neque ulla commisceretur praeiudicata opinio personalis, sed omnia potius plena suaque propia luce clarescerent, ita sane ut neque maiorem neque minorem Thomae auctoritatem tribuamus quam quae est ei per ipsam Ecclesiam recognita et communicata. Quod utinam pro votis cesserit!

Equidem scio salebritatem materiae tractandae. Multis enim displicet audire amplius huiusmodi quaestionem: vel quia timent exaggerationes in efferenda auctoritate S. Thomae, a quibus merito abhorrent; vel quia suspicantur latere semper hisce in rebus querelas inter diversas scholas vel auctores catholicos, quorum merita sunt in Ecclesia Dei; vel quia eis inopportunum videtur loqui nunc

de extrinseca auctoritate in scientiis, utpote hodiernis moribus, libertate gaudentibus, perquam exosum; vel quia postremo inutilem reputant iterationem quaestionis, eorum iudicio, iamdiu ventilatam.

Verumtamen facta recentia luculenter demonstrant necessitatem huius retractationis, sicut et iteratae commendationis huiusce auctoritatis ex parte Sedis Apostolicae —cf. Encycl. *Humani generis*—: quod quidem, ut experiundo constat et ipsi Romani Pontifices asserunt, libertatem non adimit, sed tuetur potius ac securiorem reddit.

Aliunde vero omnem dabimus operam ut absque ulla exaggeratione et sine ullo partium studio rem agamus, ita Aquinatis singularem auctoritatem recolentes ut simul praeclara aliorum merita, seu Doctorum, seu Scholarum, perlibenter confiteamur, omni eo, quod disceptationem vel a longe sapere videatur, ex industria declinato.

INTRODUCTIO

Summus Pontifex Pius Papa XII nostris hisce diebus, tum Encyclicis Litteris *Humani generis* datis die 12 mensis augusti 1950, tum *Allocutione* habita die 17 mensis septembris eiusdem anni ad eos qui tertio Thomistico internationali Conventui Romae indicto interfuerunt, gravissime atque iterato monuit theologos et philosophos catholicos ut, relictis erramentis novae theologiae novaeque philosophiae materialismo, historicismo, immanentismo, existentialismo infectarum, ad sanam tutamque doctrinam S. Thomae Aquinatis se convertant, in qua salus et veritas invenitur.

Idipsum fecerat Pius X urgente crisi modernistica, suis praesertim Litteris Encyclicis *Pascendi dominici gregis*, datis die 8 mensis septembris 1907.

Atque Leo XIII, ut humanas mentes sanaret ab erroribus pantheismi, rationalismi, ontologismi, traditionalismi exaggerati contra quos egerat Concilium Vaticanum, nullum efficacius remedium adesse exsistimavit quam totis viribus instaurare, fovere, praescribere, urgere doctrinam Angelici Magistri. Quem in finem Litteras dedit Encyclicas *Aeterni Patris,* die 4 mensis augusti 1879, aliaque plurima documenta.

Quibus ex factis hoc unum sponte fluit, iudicio Sanctae Sedis adesse in doctrina S. Thomae vim virtutemque singularem ad tutandam fidem et rationem adversus deviationes multiplices quibus nostris temporibus oppugnantur.

Quanta vero sit huiusmodi virtus quantaque sit obligatio adhaerendi et obsequendi mandatis atque hortamentis Sedis Apostolicae hac de re, non omnibus fortasse sufficienti cum claritudine perspecta sunt. Ideo operae pretium videtur esse verbulum facere de auctoritate doctrinali S. Thomae Aquinatis in re philosophica et theologica, deque obligatione qua philosophi atque theologi catholici ex praescripto Sanctae Sedis obstringuntur ad eam amplectendam et consectandam.

Ne tamen in re tanti momenti aequivoco laboremus, prae oculis ante omnia haberi debet, ad rem nostram quod attinet, gemina distinctio auctoritatis doctrinalis: alia ex parte obiecti vel materiae, alia ex parte modi vel formae.

Ex parte quidem *materiae* alia est auctoritas *in re philosophica* sive in ordine veritatum naturaliter ab homine cognoscibilium, alia *in re theologica* sive in ordine veritatum naturales vires cognoscitivas humanae rationis excedentium, quaeque ideo nisi Deo revelante fideque suscepta innotescere non possunt.

Ex parte vero *formae* utraque auctoritas, seu philosophica, seu theologica, duplex esse potest: alia *intrinseca seu scientifica*, quae intrinseco vigori mentali scriptoris et valori intrinseco doctrinali operum eius

commensuratur; alia *extrinseca sive canonica,* quae approbationi et commendationi Ecclesiae docentis maxime respondet (1). Ut illam praeteream extrinsecam auctoritatem mere humanam, quae ex cultorum hominum aestimatione dependet.

Neque absona reputanda est huismodi auctoritas canonica sive ecclesiastica S. Thomae aliusve scriptoris in re philosophica. Quemadmodum enim Ecclesiae potestas directe quidem ad sola spiritualia, sed indirecte et ratione spiritualium ad temporalia quoque se extendit, ita magisterium Ecclesiae indirecte et ex consequenti ad res philosophicas porrigitur, licet ex se ac directe nonnisi res supernaturales ac theologicas prospiciat. «Cuius [Magisterio] profecto est, ut docet Pius XII, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, *ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata*». (Encyclica *Humani generis,* AAS. 42 [1950], 575).

(1) Huic auctoritati canonicae primas damus partes in hac Opella, eamque fusius evolvemus; quae vero respiciunt auctoritatem intrinsecam vel scientificam breviter absolvimus, ne nimis protrahatur sermo. Ampliora diximus in *Suma Teológica de Santo Tomás de Aquino,* ed. BAC., t. I, *Introducción General,* p. 1.*—87*. Matriti, 1947.

CAPUT I.

Auctoritas scientifica Doctoris Angelici.

Art. 1. **In re philosophica.**

Si ergo loquamur de *intrinseca* auctoritate philosophica S. Thomae, haec procul dubio maxima dicenda est. Ex duplici enim capite integraliter mensuratur auctoritas intrinseca doctrinalis alicuius philosophi, nimirum ex parte *personae* sive qualitatum personalium eius quibus aptatur et addicitur ad recte philosophandum, et ex parte *operum* ipsius, quatenus corpus doctrinae exhibent perennalis veritatis atque incociduae validitatis.

Porro utrumque summa cum perfectione convenit Aquinati. Cumulus quidem omnium qualitatum *personalium* ad recte philosophandum. Ingenio acerrimus, memoria tenacissimus, labore indefessus, eruditione immensus, industria sagacissimus, vita integerrimus, veritatis unice cultor et amator, non est dubium quin natura sit «mirifice factus ad philosophandum», ut ait Pius XI in Encyclicis Litteris *Studiorum ducem*, datis die 29 mensis iunii 1923 (AAS. 15 [1923], 318).

Nullum fuit philosophorum genus tunc temporis cognitorum, imo et tunc humanitus cognoscibilium, in quo non fuerit diligentissime versatus. Graecos, latinos, iudaeos, arabos, plene cognitos atque perspectos habebat, eosque simul maxima cum humanitate et libertate pertractabat, probe sciens quod, ut ipsemet

ait, «studium Philosophiae *non est ad hoc quod sciatur quid homines senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum*» (Commentarium *in I de Caelo et Mundo*, lect. 22, n.° 8): «non enim - addit- pertinet ad perfectionem intellectus mei quid tu velis vel quid tu intelligas cognoscere, sed *solum quid rei veritas habeat*» (Summa theol. I. P. q. 107, a. 2 c).

Pacato animo et praeiudiciis experte legebat omnes, ut vel tantillum veritatis assequeretur, eo ipso monente: «in eligendis opinionibus vel repudiandis non debet homo duci amore vel odio introducentis opinionem, sed magis *ex certitudine veritatis*» (Commentaria *in Metaphys. Aristotelis*, lib. XII, lect. 9, n.° 2566); et iterum: «*non respicias a quo audias*, sed quidquid boni dicatur, memoriae recommenda» *(De modo studendi*, ed. Th. Esser, 18. Vindobonae, 1882. Si tamen Aquinati sit iure adscribenda huiusmodi Littera). Quam ob rem «ille qui philosophatur in qualibet arte..., *nihil debet despicere vel praetermittere*» (Comment. *in III Politicorum*, lect. 6, n.° 395, ed. R. Spiazzi, O. P., Augustae Taurinorum, 1951).

Vita eius integerrima naturalem inducebat necessitudinem cum veritate ordinis praesertim moralis detegenda et capessenda quasi ex instinctu: «sicut - ait ipse - qui habet habitum virtutis recte iudicat de his quae sunt secundum virtutem agenda, in quantum ad illa inclinatur»; exempli gratia, «de his quae ad castitatem pertinent... recte iudicat... qui habet habitum castitatis» (Summa theol. I. P. q. 1, a. 6 ad 3; II-II, q. 45, a. 1 c.). Hisce enim in rebus valet effatum illud eiusdem Thomae: «prius vita quam doctrina, vita enim ducit ad scientiam veritatis» (Comment. *in*

Evang. secundum Matthaeum, cap. 5, n.º 4 in fine, ed. Marietti, 1912, p. 81 a).

Facultates habebat summas mirabili aequilibrio et proportione compactas: addiscendi et inveniendi, legendi et meditandi, experiundi et abstrahendi, inducendi et deducendi, speculandi et dirigendi, analysim et synthesim faciendi.

Complexus etiam perfectionum exinde in *opera* eius diffluentium. Veritatis rivulos per philosophos et ecclesiasticos scriptores decurrentes in se unus quasi in mari coadunavit, comprehendit, purificavit: illorum doctrinas, ut verbis utar Leonis XIII, «velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum ipse collegit et coagmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis adauxit» (Encyclica *Aeterni Patris*, Acta Leonis XIII, ed. Bonne Presse. s. d., I. 62).

Commentaria edidit doctissima in praecipua Aristotelis Opera, quorum novam eamdemque accuratissimam versionem ex confratre suo Guillelmo de Moerbeke sibi procuravit, in Logicam nempe, in Philosophiam Naturalem, in Psychologiam, in Metaphysicam, in Ethicam, in Politicam.

Platonis et neoplatonicorum doctrinas *quoad substantalia* ex amussim callebat, non solum referentibus Aristotele, Cicerone et S. Augustino, verum etiam directa atque inmediata lectione: nam et Timaeum Platonis cum Procli expositione possidebat, uti apparet ex littera quam Generali Capitulo Ordinis Praedicatorum scripsit Facultas Artium Universitatis Parisiensis die 2 mensis maii 1274 (ed. H. Laurent, *Fontes vitae S. Thomae,* 584); et in neoplatonicos Dionysium, Proclum Boethiumque dilucida atque profundissima commentaria conscripsit, videlicet in libros *De divinis nominibus, De causis, De hebdomadibus.*

Quibus in operibus scribendis adiutorio usus est praecedentium expositorum graecorum arabumque, puta Alexandri, Ammonii, Porphyrii, Themistii, Philoponi, Simplicii, Eustratii, Avicennae, Averrois, eos semper prae oculis habens crisique subiiciens, ita tamen ut omnes et singulos in exponendo Aristotele superaret. «Unde et a philosophis, teste Ludovico Vallisoletano, *Expositor* per excellentiam nominatur» *(Brevis historia* Conventus Parisiensis Ord. Praed, ed. Martène et Durand, «Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectio», VI, 561. Parisiis, 1729).

Huiusmodi commentaria in platonicorum libros atque aristoteleos non sunt mere philologica et historica, ut apud modernos fieri solet, sed potius litteralia simul et doctrinalia, non neglectis philologia, critica et historia, prout illo in tempore excoli poterant. Si qui tamen accidentales ac prorsus secundarii defectus exinde nati erant consequi, arcebantur abundeque compensabantur ex plenitudine cognitionis omnium Operum fere incredibili auctorum exponendorum quam possidebat, et ex mirabili eius sagacitate in quaerendis, explorandis, detegendis reconditioribus eorumdem sensibus. Ita siquidem sibi assimilabat vim, succum, mentem horum philosophorum, et eorum anima in commentatorem veluti transmigrare dixeris: quo fit, ut per Thomam exponentem. eos quasi seipsos declarantes audias.

Quin etiam multipliciter perficiuntur, dum non so-

INTERLIBRARY LOANS

lum littera, sed et intentio eorum detegitur, ad ordinem rediguntur eorum effata, declarantur et evolvuntur argumenta, corripiuntur errores, minus bene asserta in rectum trahuntur sensum, tantisque ditantur complementis, ut dum seipsos prodere coguntur ope interpretis, Philosophiam ipsam induere atque redolere videantur.

Eos revera Thomas unus transcendit, dum in conatibus philosophandi et in fragmentis veritatis ab eis inventis ipse detegit quasi personam Philosophiae, veritatem integram plenis haustibus ebibentis.

At praeterea multa conscripsit opera personalia; tum minora, ut *De ente et essentia, De principiis naturae, De natura materiae, De principio individuationis, De natura generis, De quatuor oppositis, De natura verbi intellectus, De unitate intellectus, De substantiis separatis, De regimine principum;* tum maiora, ut Quaestiones disputatas *De veritate, De anima, De spiritualibus creaturis,* et tres priores libros *Summae contra Gentiles.* In quibus praesertim in *Summa contra Gentiles,* humana facultas philosophandi supremum fastigium attigisse videtur.

Ut enim ad rem ait Leo XIII, «nulla est philosophiae pars quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque

abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur» (Encycl. *Aeterni Patris,* ed. cit. I, 62).

Revera, prouti apparet ex fragmentis autographi quae servantur *Summae contra Gentiles,* S. Thomas summo cum conatu et maxima cum diligentia perfecit opus suum, ter quaterve crisi subiiciens severissimae suum manuscriptum: verba, phrases, argumenta, capita integra revidebat, castigabat, perpoliebat, transmutabat, in severiorem stylum ordinemque reducebat.

Aliunde argumenta exhibet tam valida et copiosa tamque limpide et apte disposita ad veritates exponendas erroresque pervincendos, ut perenne et inexhaustum constituant armamentarium sinceris philosophis decursu saeculorum perpetua vice sibi succedentibus ad detegendam atque tutandam veritatem contra omnes adversariorum incursus.

Apposite iterum Leo XIII: «illud etiam accedit, quod philosophicae conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo veluti gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit» (Encycl. *Aeterni Patris,* ed. cit. 1, 62, 64).

Ideo celeberrimus Cardinalis Franciscus de Toledo, S. J., undique adscitis et consultis philosophis, scribere non dubitavit: «*unus sane Divus Thomas instar erit omnium,* in quo et diligentia interpretandi, et

doctrinae gravitas cum pietate coniuncta, multa, varia et solida eruditio, incredibilis praeterea methodus in integris etiam disciplinis pertractandis; nec Commentariis solum quos scripsit in Aristotelem, sed multo etiam magis Summa theologica, Summa contra Gentiles, Quaestionibus disputatis et ceteris eius scriptis *tantam* - ut de Theologia taceamus - *Philosophiae lucem attulit unus quantam ceteri omnes* - aliorum pace dixerim - *possint explanatores afferre:* in quo ex nullius arbitror laude quidpiam detrahi, si id dicitur de Divo Thoma quod ipsorum quisque, si et viveret et adesset, de eodem videretur esse dicturus» (Commentaria una cum Quaestionibus *in Octo libros Aristotelis de Physica Auscultatione,* Ad lectorem, fol. 2 v. Venetiis, 1578).

Equidem doctrina philosophica S. Thomae, ad spiritum eius quod attinet et pronuntiata maiora, neque platonica dicenda est neque aristotelica neque alterius scholae ramusculum, sed christiana prorsus planeque humana, utpote exhibens veluti codificationem veritatum et principiorum in quae humana mens, quae naturaliter christiana est, suapte natura inclinatur (1).

Nullum quippe est philosophicum systema adeo naturae insertum et conforme, simulque humanae mentis adeo perfectivum, sicut corpus philosophicum

(1) «La Filosofía de Santo Tomás es en el fondo tan platónica como aristotélica, y al propio tiempo no es ni la una ni la otra: la Filosofía de Santo Tomás es la Filosofía cristiana» (Card. Zephyrinus González, O. P. *Estudios sobre la Filosofía de Santo Tomás,* t, I, Introducción, p. XIX. Manila, 1864).

Aquinatis: simplex, purum, dilucidum, compactum, ordinatum, - ex notionibus et principiis per se naturaliter notis exordium ducens, naturali veluti passu ad altiora, ad profundiora, ad magis recondita procedit, sicque pedetentim supremos rerum vertices et ultimas causas conscendit, ex eisque intellectis rursus ad priora illa et sensibilia regreditur, iudicio sapientiali perpendenda et explicanda.

Huc spectat famosa series viginti quatuor propositionum quae, iudicio Sacrae Congregationis studiis regundis praepositae, dato die 7 mensis martii 1916 (AAS. 8 [1916], 157), germanam S. Thomae doctrinam philosophicam, quantum ad eius principia et pronuntiata maiora, revera continent.

Huiuscemodi principia aliaque id genus bene multa, indolis praesertim metaphysicae, numquam ruitura sunt natura manente, neque vertentibus saeculis senescent, sed semper virescent in perpetuum valitura. Prout scite animadvertebat Pius XI, non sunt hae constructiones subiectivae et artificiales, sed naturales et obiectivae, ideoque valiturae semper: «*non verrà mai meno il valore della doctrina tomistica*, perchè bisognerebbe che venisse meno il valore delle cose» *(Allocutio* ad studentes universitarios, mense februario 1927, apud M. Cordovani, *San Tommaso nella parola di Pio XI*, in «Angelicum», 6]1929[, 10).

Quae vero immediate phaenomena respiciunt sensibiliter apparentia modumque loquendi ad ea ipsa utcumque manifestanda, non ea sunt quae substantiam constituunt philosophiae thomisticae, sed acciden-

talia prorsus ac mutabilia pro diversis momentis evolutionis scientiarum experimentalium. His ergo etiam excidentibus, solida manet et integra superstructio metaphysica.

Et quia verum vero semper est conforme et consentaneum, illud etiam maxime convenit corpori doctrinali philosophico S. Thomae in re praesertim metaphysica, psychologica, ethica iurisque naturalis, ut cum veritatibus divinitus traditis miram habeat consensionem.

Sive ergo consideretur corpus doctrinale philosophicum S. Thomae in seipso, sive habito respectu ad veritates supernaturales divina fide susceptas, sive methodus investigandi atque docendi, sive tandem modus et forma disserendi brevis, firma, dilucida, nervosa, - summi valoris et efficacitatis, ac proin maximae auctoritatis scientificae dicendum est.

Art. 2. In re theologica.

Pariter summa est intrinseca et scientifica eius auctoritas theologica, sive ex parte personae, sive ex parte doctrinae.

Dotes namque *personales,* quibus ex natura et gratia erat instructus, mirum in modum disponebant ipsum ad Sacram Theologiam recte pleneque capessendam et excolendam.

Fontes omnes Sacrae Doctrinae, Scripturam scilicet, Traditionem, Concilia et Decreta Magisterii Ecclesiastici, Patrum et Doctorum ecclesiasticorum seu latinorum seu graecorum scripta plenissime callebat,

eosque, qua verbum Dei referentes, maxima cum fide et pietate suscipiebat donoque informabat sapientiae, ita sane ut frequenter in mysteriorum divinorum contemplationem raperetur, sicque vitali quodam modo ea intime penetraret atque degustaret.

Aliunde naturalis sapientia, qua erat ad plenum imbutus, acumenque ingenii sui, ad divina nati, mirifice aptabant ipsum ad veritates illas fidei scientifico modo pertractandas, illustrandas, defendendas, tum ex eorum quae naturaliter cognoscebat analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, fide divina donoque sapientiae praelucentibus et dirigentibus.

Ut enim ad rem ait Pius XI, «haec est regio ubi dominatur fides: fidei autem scientia Theologia nominatur. Iam vero *huiusmodi scientia eo perfectior in quopiam sit oportet quo is fidei documenta melius calleat simulque pleniorem aptioremque philosophandi facultatem habuerit*» (Encycl. *Studiorum ducem,* AAS. 15 [1923], 317): siquidem, docente Leone XIII, «requiritur Philosophiae usus ut Sacra Theologia naturam, habitum ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat» (Encycl. *Aeterni Patris,* ed. cit. 1, 50).

Quae cum ita sint, absque invidia asserere licet nullum unquam fuisse inter theologos Aquinate robustiorem fide, sapientia ditiorem, locupletiorem philosophia, studioque divinorum magis deditum. Sua etenim fecit haec verba S. Hilarii: «ego hoc vel praecipuum vitae meae officium debere me Deo conscius sum, **ut eum omnis sermo meus et sensus loquatur**» *(Summa contra Gentiles,* 1, 2). Quibus ex amussim respondent haec alia proprio marte prolata: «cum

perfectio hominis consistat in coniunctione ad Deum, *oportet quod homo ex omnibus quae in ipso sunt, quantum potest, ad divina innitatur et adducatur*, ut intellectus contemplationi et ratio inquisitioni divinorum vacet, secundum illud Psalmi 72, 28: mihi adhaerere Deo bonum est» (Commentarium *in librum Böethii, De Trinitate*, q. 2, a. 1 c). Et iterum: «*humana mens debet semper moveri ad cognoscendum de Deo plus et plus* secundum modum suum», idest secundum totum suum posse (ibid. ad 7) (1).

Nihil ergo mirum si tot tantaeque animi perfectiones in *opera* eius theologica redundarent, neque dubitandum est - ut ait Pius XI (Encycl. *Studiorum ducem*, AAS. 15 [1923], 317) - «quin *ad summum dignitatis culmen evecta Theologia sit per Aquinatem*».

Nulla fuit Theologiae pars quam non ipse sapientissime pertractaverit et cumulatissime ditaverit, incredibilem ingenii sui ubertatem in eam effundens.

Illius Theologiae fundamentalis partis, quam *Apologeticam* vocant, solidissima et in perpetuum duratura iecit fulcimenta, super quae theologi posteriores aedificium struxerunt, de distinctione nempe inter ordinem veritatum de Deo naturalem et supernaturalem, de propria indole utriusque, de natura revelationis et fidei, de necessitate atque possibilitate revelationis, de evidenti credibilitate mysteriorum fidei in motivis, quae

---

(1) Videri possunt quae alibi fusiore calamo scripsimus, nimirum *Suma Teológica de Santo Tomás de Aquino*, t. I, *Introducción General*, pp. 5*—64*, ed. BAC., Madrid, 1947.

dicuntur, credibilitatis relucente. Caietanus, Báñez, Zúmel, Navarrete, Nazarius, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses principia Apologeticae ab Aquinate posita evolverunt in Commentariis suis doctissimis super Primam et Secundam Secundae Partem, ubi de natura fidei et theologiae fit sermo, ex eisque in recentiores thomistas promanarunt, qui ea de re specialia ediderunt opera nostris temporibus aptata, ut Cardinalis Th. Zigliara, A. Gardeil, R. Garrigou-Lagrange.

Quae de *Ecclesiae* constitutione eiusque dotibus et notis, de Romani Pontificis primatu et infallibilitate, de membris Ecclesiae, de Ecclesia ipsa qua corpus Christi mysticum a modernis theologis traduntur, S. Thomam praecursorem ac pene creatorem habent: ipse enim lineamenta posuit fundamentalia posterius evoluta ab eius praeclaris discipulis Joanne de Torquemada, Caietano, Báñez, Nazario; indeque ad hodiernos tractatus de Ecclesia Christi transierunt.

Methodologia theologica, quae in tractatu *De locis theologicis* maxime continetur, a Thoma ipso sicut a praecipuo fonte descendit, ut sincere fatetur celeberrimus Melchor Cano, disciplinae huius conditor et parens: «ut homo, inquit, minime ingratus illi me dedam cui tantopere debeo et huius officii servitutem adstringam testimonio sempiterno, *Divus Thomas mihi et auctor et magister fuit huius Operis componendi*» (*De locis theologicis,* lib. XII, cap. 2, n.° 2. Melchoris Cani *Opera*, ed. T. Cucchi, Romae 1900, III, 11).

Pars etiam theologiae, quae *Dogmatica* appellatur, «auctorem quoque habet omnium locupletissi-

mum Thomam» (Pius XI, *Studiorum ducem*, AAS. 15 [1923], 318). Naturam Dei eiusque attributa, unitatem, veritatem, bonitatem, perfectionem, simplicitatem, infinitudinem, immensitatem, aeternitatem, incomprehensibilitatem, ineffabilitatem, omniscientiam, beatitatem, providentiam, omnipotentiam, divinae voluntatis et praedestinationis mysteria, tanta explicat dexteritate ut posteris theologis facultatem reliquerit eum imitandi, non aequandi neque superandi.

Vitam Dei intimam in personarum Trinitate, quantum status patitur hominis viatoris, lucidissime et ordinatissime descripsit.

Mundi, hominis, angelorum creationem, horum hominumque elevationem ad ordinem supernaturalem lapsumque, omnium denique creaturarum conservationem et gubernationem, maxima cum profundidate declaravit.

Animae humanae et angelicae creaturae naturam, facultates et operationes nemo unquam theologorum tam subtiliter penetravit neque tam copiose ac dilucide explanavit.

In explorandis et enodandis mysteriis incarnationis Verbi Dei et Redemptionis, aliisque in vita et morte Christi absconditis, palmam ceteris theologis arripuisse videtur: sicut et in canendo et explicando Eucharistiae Sacramento, et in quaestionibus eschatologicis evolvendis. Cum enim finem imponeret tractationi suae de Sacramento corporis et sanguinis Christi, plausum et approbationem accepit ab ipso Domino dicente sibi: *bene scripsisti de me, Thoma* (G. de Tocco, *Vita S. Thomae*, cap. 52, ed. D. Prümmer, p. 126). Revera, in tractando de hoc Sacramento

est «plane mirabilis», ut ait Benedictus XV *(Epistula* ad R. P. Lépicier, data die 10 ianuarii 1917. AAS. 9 [1917], 102).

Idem de parte illa Sacrae Doctrinae, quae *mores* respicit humanos rite dirigendos in finem ultimum supernaturalem, asserendum est. Nullus unquam scriptorum ecclesiasticorum, seu Patrum, seu Theologorum, tam copiose, tam profunde tamque ordinate disseruit de fine hominis ultimo, de actibus passionibusque humanis, de lege divina eiusque praeceptis, de Dei gratia, de vitiis et virtutibus tam moralibus quam theologalibus.

Haec enim est Theologiae pars, quam iudicio etiam coaetaneorum eius maxime locupletavit Aquinas, dum eum appellant «clarum Dei organum in Theologia et Naturalibus, et *praecipue in Moralibus*» (Ptholomeus de Luca, *Hist. Eccl.*, lib. XXII, cap. 24, apud P. Mandonnet, «Des écrits authentiques de saint Thomas d' Aquin», p. 50; *Chronica minor* auctore Minorita erphordiensi, «Monumenta Germaniae historica», Scriptores, XXIV, 212. Hannover, 1879).

Neque solam respicit vitam individualem moraliter regulandam, verum etiam principia atque doctrinam tradit uberrimam ad vitam familiarem, herilem, socialem, internationalem rite tutoque dirigendam, tam in ordine naturae quam gratiae. Quae de prudentia personali et gubernativa, de iure et iustitia, de auctoritate et obedientia, de rerum proprietate et eleemosyna, de bello et pace, de iure gentium mutuisque inter nationes officiis edocuit, ea sunt quae uberrimo cum fructu explicarunt saeculis supervenientibus Caie-

tanus, Franciscus de Victoria, Dominicus de Soto, Báñez, alii, et ad iura americanorum sarta tectaque servanda applicaverunt: nostris etiam temporibus maxime proficua aestimanda, sancteque tenenda.

Sed et Theologiam *Asceticam et Mysticam* singulari cum dignitate et elevatione coluit tradiditque. De donis Spiritus Sancti, de fructibus et beatitudinibus, de divinarum personarum inhabitatione in animabus iustis, de vita actuosa et contemplativa, de oratione et raptu, de statu perfectionis religiosae et episcopalis, de muneribus et effectibus ferventis ardentisque caritatis, tam alte, tam pie, tam plene scripsit quam qui maxime.

Eius sunt haec praeclara verba: Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus (Psalm. 33, 9). «In corporalibus namque prius videtur et postea gustatur; sed *in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur, quia nullus cognoscit qui non gustat:* et ideo dicit prius, *gustate;* et postea, *videte*» (Comment. *in Psalm. 33*, 9). «Oportet ergo - addit alio in loco - ut intelligamus divina secundum hanc unitionem gratiae, *non quasi trahendo divina ad ea quae sunt secundum nos, sed magis totos nos statuentes extra nos in Deum,* ita ut per praedictam unitionem totaliter deificemur» (Comment. *in librum Dionysii De divinis nominibus,* cap. 7, lect. 1, n.º 705, ed. C. Pera, O, P., Augustae Taurinorum, Marietti, 1950).

Sacras item Litteras per *Exegesim* atque *Theologiam Biblicam* plenissime doctissimeque interpretatus est. Primo quidem ea, quae fundamentalia sunt huius disciplinae, firmissime statuit ac dilucide explicavit:

naturam eius, quae est verbum Dei, Deum ipsum inspirantem habens auctorem principalem, auctoremque instrumentalem hominem inspiratum, quem hagiographum dicimus (Quodl. 7, a. 14 ad 5); inspirationis indolem una cum lumine prophetico (Summa theol. II-II, qq. 171-175); veritatem eius, utpote verbum Dei falli et fallere nescium (Summa theol., II-II, q. 1, a. 3); sensus eius multiplices, nec tamen aequivocos, sed ordinatos aliosque ex aliis omnesque ex uno fundamentali pendentes, qui litteralis sensus audit (Quodlib. VII, aa. 14-16; Summa theol. I, q. 1, a. 10); progressum revelationis divinae in Antiquo Testamento eiusque in modo loquendi attemperationem ad conditiones culturales populi israelitici cui porrigebatur (Summa theol. II-II, q. 1, a. 7; I, q. 68, a. 3; q. 70, a. 1 ad 3).

Dein libros ipsos Scripturae potissimos uberiorique doctrina refertos commentariis illustravit: Isaiam, Ieremiam, Iob, Davidicum Psalterium ex Antiquo Testamento; ex Novo autem, praeter Catenam Auream in quatuor Evangelia - opus sane immensae eruditionis et laboris incredibilis, in quo quidquid tota Patrum traditio seu graecorum seu latinorum in Evangelia protulerat, mirabili arte collegit ac digessit - , proprias conscripsit expositiones in Evangelia Matthaei et Joannis et in omnes Epistulas paulinas.

Hisce in Commentariis, praesertim super Joannis Evangelium et Epistulas S. Pauli, miranda est plenitudo doctrinae biblicae ac theologicae tam dogmaticae quam moralis et spiritualis, ita sane ut inexhaustam constituant aurifodinam pro exegetis, pro theologis, pro sacris concionatoribus, ac pro iis omnibus qui, ascensiones spirituales in corde suo disponentes et

christianam perfectionem anhelantes, ad supremos sanctitatis vertices Deo opitulante sunt evecturi.

Theologia ergo S. Thomae, una essentialiter exsistens, tantae est dignitatis, ut omnes scientias humanas exsuperet in contemplando, et omnes practicas excedat in regulando et dirigendo: atque in hoc suo munere cognoscendi et dirigendi supernaturaliter adeo cumulata est, ut nullam habuerit aequalem.

Ipse namque, ut aiebat Cardinalis Bessarion, inter sanctos exstitit doctissimus et inter doctos sanctissimus *(Adversus calumniatorem Platonis*, lib. II, cap. 7), ac proin omnium theologorum princeps. Nec ulli theologorum sicut Thomae ipsi tam plene quadrant quae de perfecto theologo dixerat Aquinas: «hoc habet Sacrae Scripturae [et Sacrae Theologiae] doctrina, quod in ipsa non tantum traduntur speculanda sicut in Geometria, sed etiam approbanda per affectum; unde Mtt. 5, 19: qui autem *fecerit et docuerit*, hic magnus vocabitur in regno caelorum. In aliis ergo scientiis sufficit quod homo sit perfectus secundum intellectum: in ista vero *requiritur quod sit perfectus secundum intellectum et secundum affectum.*» (Comment. *in Epist. ad Hebraeos*, cap. 5, lect. 2).

Huiusmodi plenitudo et cumula perfectio theologiae S. Thomae perspicua est volventi atque meditanti complura eius opera theologica presse dicta, seu maiora, seu minora.

Minora quidem ut opuscula *De perfectione vitae spiritualis, De duobus praeceptis caritatis et de decem legis praeceptis, De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis, Contra errores graecorum* et *De forma absolutionis, De rationibus fidei* et *Compendium Theologiae, Expositiones* eius in primam et secundam Decretalem, in Orationem dominicam, Salutationem angelicam et Symbolum Apostolorum.

Maiora praesertim, ut Commentarium eius *super quatuor libros Sententiarum* Petri Lombardi; plures Quaestiones disputatas et Quodlibetales, ut *De potentia, De unione Verbi Incarnati, De malo, De virtutibus* et *De sensibus Sacrae Scripturae;* maxime vero *Summam* eius *contra Gentiles* et *Summam theologiae.*

Hisce enim operibus maioribus ex amussim conveniunt celeberrima verba Guillelmi de Tocco: «erat [Thomas] *novos* in sua lectione movens articulos, *novum* modum et clarum determinandi inveniens, et *novas* adducens in determinationibus rationes; ut nemo, qui ipsum audiret *nova* docere et *novis* rationibus dubia definire, dubitaret quod eum Deus *novi* luminis radiis illustrasset; qui statim tam certi coepit esse iudicii, ut non dubitaret *novas* opiniones docere et scribere, quas Deus dignatus esset *noviter* inspirare» *(Vita S. Thomae*, cap. 14, ed. Prümmer, p. 81).

Novitatis istius causa procul dubio exstitit, praeter angelicum eius ingenium donis caelestibus naturae et gratiae cumulatum, profundior fontium et instrumentorum theologiae cognitio eorumque severior atque dexterior applicatio: nimirum plenior et purior cognitio Scripturae et traditionis Patrum, veriorque ac profundior notitia rerum ope politioris et amplioris philosophiae in usum et instrumentum Theologiae conversae.

Equidem theologi praecedentes, itemque suppares

non pauci, admodum timide rationem sive humanas scientias adhibebant in dubiis et quaestionibus theologicis enodandis, potiusque ad ornatum quemdam litterarium quam ad uberiorem intelligentiam: Thomas vero, e contra, vestigia sequens Magistri sui carissimi S. Alberti Magni, omnes humanas scientias omnesque rationis vires ad servitium fidei defendendae, illustrandae, explicandae convocavit, non quidem ut magistrae concurrentes sed ut ministrae. «Cum enim, inquit, gratia non tollat naturam sed perficiat, *oportet quod naturalis ratio subserviat fidei* sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati» (Summa. theol., I, q. 1, a. 8 ad 2). «Ipsa [Theologia], addit, *utitur in obsequium sui omnibus aliis scientiis quasi vassallis*» (In *I Sent.*, Prolog., a. 1 c).

Itaque S. Thomas opus ab Alberto incoeptum renovationis et solidificationis divinae humanaeque scientiae complevit et ad perfectum adduxit, duo condens corpora doctrinalia essentialiter distincta, philosophicum nempe et theologicum. Utrumque plena gaudet autonomia in suo genere, quin tamen inter unum et alterum ulla sit aut esse possit vera oppositio et contrarietas, sed potius mirabilis concentus cum mutua opitulatione atque iuvamine. Ratio namque fidei subordinari debet eique subservire, sicut natura gratiae et creatura Creatori. Sicque factum est ut Theologia, quin desineret esse scientia affectiva et secundum pietatem ut plerique theologi sui temporis asserebant, simul naturam indueret scientiae presse dictae, quae revera sensuque pleniori est scientia fidei.

Opus sane immensae molis summaeque fecunditatis et valoris, pro quo S. Thomas strenue laboravit

ac insudavit, calumnias etiam passus atque persecutiones dum viveret et post eius obitum, quae culmen attigerunt in damnatione plurium propositionum a Stephano Tempier, Joanne Peckham et Roberto Kilwardby (ed. H. Laurent, *Fontes vitae S. Thomae,* 590-617).

Omnia tamen invicte superavit certamina, imo, ut ait Pius XI, «quasi aurum quod nulla acidorum natura dissolvitur, vim splendoremque suum retinuit ac nunc retinet» (Encycl. *Studiorum ducem*, 15 [1923], 317) (1).

Cuius rei testes sunt verba Professorum Facultatis artium Universitatis parisiensis, eum appellantium stellam matutinam *praeeminentem* in mundo, iubar et lucem saeculi, imo, ut verius dicamus, *luminare maius* quod praeerat diei», et ab ipso Conditore naturae singulari privilegio datum mundo ut naturae elucidaret occulta *(Litterae* ad Capitulum Generale Ord. Praed., die 2 maii 1274, ed. R. Laurent, *Fontes*, 584).

Eaque resonat *Planctus* de morte Thomae eodem circiter anno conscriptus:

«Hic ut stella matutina, ut solaris radius,
verbo, vita et doctrina praefulsit Parisius;
cura dedit hunc divina, velut iubar clarius
in multis utilius.

. . . .

Gemma morum, flos doctorum, mente vir aethereus,
fulgens orbis cereus;

(1) Cf. quae diximus in *Suma Teológica de Santo Tomás,* t. I, *Introducción General*, pp. 72*—87*.

hic pudoris vas decorum, *Scripturarum puteus,*
exemplar philosophorum, thronus Regis aureus.
Alumnus Philosophiae, ex Aquino nobilis,
lucerna Theologiae, scriptis admirabilis,
explanavit nocte die libros Aristotelis;
vir cunctis amabilis,
bonis fuit mentis piae, malisque terribilis».
(Ed. H. Laurent, *op. cit.*, 586, 587).

Concordant etiam auditores eius et discipuli. A Remigio Girolami celebratur veluti

«Doctor doctorum
sanctusque cacumine morum»
(Rythmus eodem tempore compositus.
Ed. H. Laurent, *ibid.*, p. 1589).

Ptholomaeo de Luca Thomas »fuit *arca Philosophiae et Theologiae» (Historia ecclesiastica*, lib. XXII, cap. 15): iuxta Rambertum de'Primadizzi bononiensis, «conscripsit *sermones rectissimos et veritate plenos» (Apologeticum* veritatis contra corruptorium, prol., p. 3, ed. J. P. Müller, Romae 1943), cuius ore loquuntur S. Augustinus, Böethius, S. Anselmus, Richardus a S. Victore et omnes qui aliquid intellexerunt *(ibid.*, a. 3, p. 24).

Imo et Patrum maximo S. Augustino et summo Apostolorum Paulo comparare non verentur. Ita B. Jacobus Capocci Viterbiensis «credebat in fide et Spiritu Sancto quod Salvator noster, Doctor veritatis, pro illuminatione orbis et universalis ecclesiae misisset Paulum Apostolum et postea Augustinum et novissimo tempore dictum fratrem Thomam, cui usque ad finem saeculi non credebat alium successurum» tan-

tae auctoritatis *(Processus canonizationis* neapolitatus, testante ac referente Bartholomaeo de Capua, n.° 83, ed. H. Laurent, *Fontes vitae S. Thomae*, p. 383).

Tantumque, impugnationibus aemulorum non obstantibus, convalescebat eius auctoritas, ut sat cito omnium pervaserit mentes sibique devinciret, universalis omnium magister et doctor salutatus. Ut enim testatur Bartholomaeus de Capua, qui eum personaliter cognoverat, «scripta ipsius fratris Thomae, licet post eius mortem a multis et magnis impugnata fuerunt et reprenhensionum morsibus attemptata, tamen *nunquam decrevit eius auctoritas sed semper invaluit,* et diffusa sunt ubique terrarum cum cultu et reverentia» *(ibid.*, p. 385): siquidem, fatente B. Jacobo Viterbiensi, «in scriptis ipsius inveniuntur *communis* veritas, *communis* claritas, *communis* illuminatio, *communis* ordo et doctrina cito perveniendi ad perfectam intelligentiam» *(loc. supra cit.*, p. 384).

Quo fit, ut Bernardus Guidonis ante annum 1304 scribere non dubitaverit: «frater Thomas de Aquino, Apulus, Doctor est egregius et famosus in orbe, quam plurima scripsit, cuius doctrinam sanam et lucidam totus Oriens et Occidens, sine invidia iudicando, amplectitur et miratur, et eam habere se gaudet et gloriatur. Ipsa namque tamquam lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem, donec Lucifer oriatur; indeque hauriunt universi, et obtrectatores et aemuli in occulto» (Stephanus de Sanalaco et Bernardus Guidonis, O. P., *Tractatus de quatuor in quibus Deus Praedicatorum Ordinem insignivit,* ed. Th. Käppeli, O. P. MOPH. *XXII*, p. 34, 8-14. Romae, 1949. Cf. etiam G. de Tocco, *Vita*, cap. 16, ed. Prümmer, 85,

Ptholomaeus de Luca, *Hist. Ecclesiastica,* cap. 8-9).

Saeculis quoque supervenientibus ad nostra usque tempora approbationem aut certe admirationem excitavit hominum ingenio et scientia maxime excellentium, eorum etiam qui eadem cum ipso fide non communicabant. Erasmum si audias, nullus est theologorum cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio (Adnotationes *in Epistulam ad Romanos,* cap. 1, apud B. de Rubeis, «Disertationes criticae in S. Thomam Aquinatem», dissert. 6, cap. 2, n.° 1. *Opera* S. Thomae, ed. Leon. I, 115 b). Leibniz admiratur soliditatem doctrinae eius *(Tentamina* Theodiceae, III p., § 330. Opera, ed. L. Dutens, I, 358), Christianus Wolf acumen ingenii *(Theol. Naturalis,* § 683, p. 242. Veronae, 1738), Jacobus Brucker excellentiam ingenii, lectionis copiam et inexhaustam prorsus industriam *(Historia critica Philosophiae,* III, 803. Lipsiae, 1743), Adulphus Harnack vim mentis herculeam *(Lehrbuch der Dogmengeschichte,* 498. Tübingen 1910); et R. Seerberg in Thoma salutat theologum ac philosophum maximum Ecclesiae, qui vexillum progressus philosophiae et theologiae in altum ducebat *(Lehrbuch der Dogmengeschichte,* III, 318. Leipzig 1913).

Valor ergo intrinsecus doctrinae S. Thomae in re philosophica et theologica tantus est, ut nedum ab eius discipulis et amicis, verum etiam ab aemulis et adversariis summus reputetur.

CAPUT II.

Auctoritas doctrinalis canonica Doctoris Communis Ecclesiae.

Huiusmodi auctoritas, quae dogmatica etiam quodammodo dici potest, respondet conformitati alicuius doctrinae theologicae vel philosophicae cum divina revelatione, et commensuratur gradui approbationis atque commendationis eius a Magisterio Ecclesiae, cuius est de tali conformitate iudicare, ideoque auctoritas haec tota quanta est ex Ecclesiae auctoritate derivatur. Ut enim scribit ipse S. Thomas, «*ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet:* unde magis standum est auctoritati Ecclesiae quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cuiuscumque Doctoris» (Summa theol., II-II, q. 10, a. 12 c).

Ecclesiae siquidem auctoritas, cum diu instanterque per saecula approbat et commendat alicuius doctrinam universo fidelium coetui, suam quodammodo facit, eique propriam communicat auctoritatem: non quasi ex nihilo vim et veritatem eius creet, sed eam potius supponit ac recognoscit, authentice proponens sequendam et aemulandam. Eo circiter modo quo canonizatio alicuius fidelis ab Ecclesia sanctitatem eius non creat sed supponit, eam tamen recognoscit et authentice proponit venerandam et imitandam.

Ecclesia autem primario approbat et commendat

doctrinam aliquam theologicam quae veritates divinitus revelatas per se respicit, et nonnisi secundario doctrinam philosophicam quae ex se veritates tantum ordinis naturalis concernit, prout tamen respectum dicit conformitatis ad veritates ordinis supernaturalis, ac proin *philosophia secundum Christum* appellatur a Benedicto XV (Motu proprio *Non multo post,* de Romana S. Thomae Academia, AAS. 7 [1915], 6, data die 31 decembris 1914). Ideo auctoritas *canonica* doctrinalis S. Thomae consideranda est primo in re theologica, ac dein in re philosophica.

Art. 1. **In re theologica.**

Joannes XXII, qui eum sanctorum catalogo adscripsit, cum de inchoando processu canonizationis ageretur, in Consistorio coram Cardinalibus dixit: «vita eius fuit sancta et doctrina eius non potuit esse sine miraculo...; quia *ipse plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores*, in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae» *(Acta Sanctorum*, vol. I martii, 681-682).

Ac processu finito, recolligens miracula ab eo patrata plus quam tercenta, subiunxit: sed quid de miraculis eius inquirimus? «*Tot miracula fecit quot scripsit articulos*. Revera iste gloriosus Doctor post Apostolos et Doctores primos plus illuminavit Ecclesiam Dei» (P. Percin, *Monumenta Conventus Tolosani Ord. Praed.*, apud J. Berthier, «S. Thomas Aquinas *Doctor Communis* Ecclesiae», 50. Romae 1914).

Clemens VI Litteras dedit Apostolicas *In Ordine*

Fratrum Praedicatorum, die 6 februarii 1344, omnibus christifidelibus directas, in quibus plurimum laudat Ord. Praed. eo quod produxit «illum praelucidum ac fructuosum palmitem, beatum videlicet Thomam de Aquino, confessorem ac doctorem egregium, ex cuius sapientiae et doctrinae scriptis et traditis universalis Ecclesia multiplicem spiritualis ubertatis fructum recolligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter» *(Bullarium Ord. Praed.*, t. II, p. 258. Romae, 1719 sqq.).

Imo et ipse Pontifex auctor exstitit quod in Capitulo Generali Ord. Praed. Brivae celebrato anno 1346 districte prohiberetur Fratribus universis ne auderent a doctrina S. Thomae recedere *(Acta Cap. Generalium Ord. Praed.* ed. Reichert, t. II, p. 308, 6-15. Romae, 1889).

Pro B. Urbano V cerebrum S. Thomae est «caelestis sapientiae gazophylacium», qui divina opitulante gratia «Scripturarum aenigmata reseravit, solvit nodos, obscura dilucidavit dubiaque declaravit» (Bulla *Copiosus*, data die 16 iunii 1368, qua corpus et caput S. Thomae Tolosam deferri iubet et tradi Fratribus Praedicatoribus. *Bullarium Ord. Praed.* t. II, p. 250).

Et addidit: Tolosae est «Universitas nova in Theologia, *quam volo fundari in doctrina solida et firma illius Sancti*». Archiepiscopo tolosano autem universisque Magistris ac Doctoribus praedictae Universitatis scripsit: «volumus insuper et *tenore praesentium* **vobis iniungimus** *ut dicti Beati Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare*» (Bulla *Laudabilis*

Deus, data die 31 augusti 1308. Bullarium Ord. Praed., t. II p. 260).

Revera, ut ait Nicolaus V, ex eius doctrina «tota universalis illuminatur Ecclesia» (Bulla *Piis fidelium,* data die 20 iulii 1451. Bull. Ord. Praed., t. III, p. 299), quia ipse, testante Alexandro VI, «quasi lucerna praefulgens in universo christianum orbem illustrat» (Bulla *Etsi cunctae,* data die 29 iulii 1496. Bull. Ord. Praed., t. IV, p. 122).

Pius IV laudat ex corde morem Universitatis Salmanticensis quotannis celebrantis solemnia S. Thomae in ecclesia S. Stephani Ordinis Praedicatorum, eique plures concedit indulgentias ut maxima cum devotione recolatur festum «tanti Doctoris, ex cuius sacra doctrina quanti fructus Ecclesiae provenerint et quotidie proveniunt nullus est fere qui nesciat», omnesque invitat ad mores eius imitandos et sectandam doctrinam (Bulla *Salvatoris,* data die 15 aprilis 1564. Bull. Ord. Praed., t. V, p. 97).

S. Pius V, qui ipsum declaravit universalis Ecclesia Doctorem, agnoscit in Thoma «clarissimum Ecclesiae lumen», cuius opera sunt «*certissima christianae regula doctrinae,* qua Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis erroribus illustravit..., quod et antea saepe et liquido nuper in Sacris Concilii Tridentini decretis apparuit» (Bulla *Mirabilis Deus,* data die 11 aprilis 1567. Bull. Ord. Praed., t. V, p. 154).

Edixit etiam Aquinatis «doctrinam theologicam ab Ecclesia Catholica receptam *aliis magis tutam et securam* exsistere» (Bulla *In eminenti,* data die 29 iulii 1570, Bull. Or. Praed., t. V, p. 245).

Clemens VIII eum celebrat veluti divinae voluntatis Angelicum interpretem (Bulla *In quo nos,* data die 22 novembris 1603. Bull. Ord. Praed.. t. V, p. 611), additque: «ac doctrinae quidem testis est ingens librorum numerus quos ille brevissimo tempore, in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, *sine ullo prorsus errore conscripsit;* in quibus conscribendis interdum sanctos Apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit« (Bulla *Sicut Angeli,* data die 22 novembris 1603. Bull. Ord. Praed., t. V, p. 512).

Paulo V S. Thomas est catholicae fidei splendidissimus athleta, «cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter eludit» (Bulla *Splendidissimus athleta,* data die 17 septembris 1607, op. cit., p. 659); «Ecclesiae Catholicae defensor ac haereticorum expugnator» (Bulla *Cum sicut,* data die 20 octobris 1614, ibid. p. 699).

Quae quidem sua iterum faciens Benedictus XIII, scribit ad Fratres Ordinis Praedicatorum: «pergite porro Doctoris vestri opera sole clariora, *sine ullo prorsus errore conscripta,* quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, *inoffenso pede* decurrere, ac *per certissimam illam christianae doctrinae regulam* sacrosanctae religionis veritatem incorruptaeque

disciplinae sanctitatem tueri ad vindicare» (Bulla *Demissas preces*, data die 6 novembris 1724. Bull. Ord. Praed., t. VI, p. 546).

Doctrina eius, constanti Summorum Pontificum testimonio orthodoxis commendata populis, *nequit efferri condignis laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis,* quae Solis instar mundum universum illustrans, uberrimae christianae Ecclesiae bona peperit paritque in dies singulos multiplici fructu (Bulla *Pretiosus*, data die 26 maii 1727, ibid., p. 622).

Haec rursus in memoriam revocat suaque facit Benedictus XIV in Bulla approbationis Collegii Theologici S. Dionysii extra muros urbis Granatensis positi, data die 21 augusti 1752, simulque laudat plurimum atque confirmat eius statuta quibus praecipitur «ut deinceps *nemo ex Magistris sive Lectoribus eiusdem Collegii Dionysiani aliam doctrinam, ac praesertim in rebus theologicis, praeter* **unicam** *S. Thomae Aquinatis doctrinam, in scholis et cathedris dicti Collegii auditoribus legere, tradere et explicare possit» (Acta* Cap. Generalium Ord. Praed. ed. B. Reichert, t. 9, p. 225, 18-22. Romae, 1904).

Ac de seipso, qui tot scripserat opera doctissima, aperte confitetur: «Nos ipsi in libris quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, *admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus, candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum» (Allocutio* ad Patres Ord. Praed. in Capitulo Generali

congregatos die 3 iulii 1756, cui ipse Pontifex praefuit, *Acta* Cap. Gen., t. 9, p. 199, 4-8).

«Ceteras vero S. Doctoris laudes — pergit idem Summus Pontifex — id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare aut traducere visus sit, sed omnes officiose ac perhumaniter demereri. Nam si quid durius, ambiguum obscurumque eorum dictis subesset, id lene benigneque interpretando emolliebat; si autem religionis ac fidei causa postulabat ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id praestabat modestia ut non minorem ab eis dissentiendo quam catholicam veritatem asserendo laudem mereretur» (Const. *Sollicita*, § 24, data die 9 iulii 1753. Bullarium Benedicti XIV, t. IV, p. 75-76. Romae. 1758).

Pius VI nullo modo patiebatur «ut divinum Thomae eloquium quasi novella doctrina discutiatur et otiosa disputatione impugnetur» *(Allocutio* ad Patres Ord. Praed. adunatos in Capitulo Generali cui ipse praefuit, habita die 17 maii 1777, *Acta* Cap. Gen. Ord. Praed., t. 9, p. 311, 13-14), quandoquidem, ut ipsemet paulo ante dicebat, «*inter multiplices Scholas Thomas Aquinas Sol doctrinae et theologorum antesignamus iure fuit appellatus, cum nihil nisi e Sacrarum Litterarum Patrumque consensu asserat,* ac quidquid scripsit meruerit, ut pie fertur, divina voce confirmari: proindeque praedecessores nostri eximiis praeconiis commendarunt tamquam *christianae religionis clypeum firmumque Ecclesiae praesidium,* ac novissime Benedictus XIV, cuius sapientiae intimi admiratores fuimus, thomisticam doctrinam restitui iussit in Col-

legio S. Dionysii Areopagitae Montis Illipolitani extra civitatem Granatensem, *proposita sacrorum interditionis poena cuicumque qui ab ea abscessisset»* (ibid., p. 111, 1-8).

«Et facta testantur — addit Pius IX — Ecclesiam *in oecumenicis Conciliis* post illius obitum habitis tantum detulisse scriptis eiusdem, ut *sententiis inde ductis et saepe etiam verbis usa fuerit, sive ad elucidanda catholica dogmata, sive ad erumpentes errores conterendos»* *(Litterae* ad R. P. Raymundum Blanchi, datae die 9 iulii 1870, apud Berthier, op. cit., 177).

Quae omnia recolligens Leo XIII et praetergrediens, cum plausu meminit Thomam deliberationibus et decretis Patrum in omnibus Conciliis oecumenicis post eius transitum celebratis interfuisse ac *pene praefuisse,* «adversus errores graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem».

Et suiungit: «sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex Doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum maximorum decretis *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur» (Encyclica *Aeterni Patris*, data die 4 augusti 1879. Acta Leonis XIII, ed. cit. I, 66).

Ipse vero Leo XIII nihil optatius habuit quam «ut longe lateque fluat Angelici Doctoris excellens sapientia, quae *opprimendis opinionibus perversis nostrorum*

temporum fere nihil est aptius, conservandae veritati nihil efficacius» (Motu propio *Placere nobis*, de Operibus S. Thomae Aquinatis ex integro edendis, die 18 ianuarii 1880, apud Berthier, op. cit., 200).

Ac revera «quicumque in Philosophia Theologiaque serio versantur et aliquid volunt dignum iis disciplinis attingere, nihil habere solent utraque *Summa* contra Gentiles et Theologiae familiarius» *(Litterae* ad Cardinales Simeoni et Zigliara, die 2 octobris 1886, op. cit., 230). Etenim «*le livre par excellence, où les élèves pourront étudier avec plus de profit la Théologie Scolastique, est la Somme Théologique de saint Thomas d' Aquin*» (Encyclica *Depuis le jour*, de educatione cleri in Galliis curanda, data die 8 septembris 1899. Acta, ed. cit. VI, 100). Et «qui in scientia rerum sacrarum elaborant tam acriter hoc tempore lacessita, ex voluminibus S. Thomae habituri sunt quo fundamenta fidei christianae ample demonstrent, quo veritates supernaturales persuadeant, quo nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulsent» (Breve *Cum hoc sit*, datum die 4 augusti 1880. Acta, ed. cit. I, 114).

Ideo plurimum laudat Franciscum Satolli, postea Cardinalem Praefectum Sacrae Studiorum Congregationis, de commentariis ab eo editis «in ipsam S. Thomae Aquinatis *Summam*, ea ratione ut auditores sui *textum Angelici Doctoris e suis manibus excidere non patiantur. Sic enim et non aliter fiet ut genuina S. Thomae doctrina in scholis floreat, quod nobis maxime cordi est. Illa enim docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur, mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae di-*

versae atque inter se pugnantes oriuntur, quae cum S. Doctoris mentem referre nequeunt, tum dissensiones fovent et concertationes quae diutius iam catholicas scholas non sine magno scientiae christianae detrimento agitarunt. Optandum autem est ut praeceptores Sacrae Theologiae, Tridentinos Patres imitati, *Summam* S. Thomae super cathedris suis patere velint, unde consilium, rationes et theologicas conclusiones petant. Ab his enim palaestris merito Ecclesia expectare poterit fortissimos milites ad profligandos errores, ad rem catholicam defendendum» (*Epistula* data die 19 iunii 1886, apud Berthier, op. cit., 228).

Vehementer quoque laudat A. Breznay de editis operibus Cardinalis Petri Pazmany: «is enim Pazmanius est qui de grandioribus disciplinis eruditione summa sensuque aitiore disserat, idemque *singularem illum atque in Sacris Litteris facile principem Thomam nostrum, ducem sequatur ac magistrum*» (*Epistula* data die 5 sptembris 1901, op. cit., 269).

Sed adhuc instat urgentius: «illud summopere nos urget, ut *sacri Antistites omnem impendant curam quo iuventus in spem Ecclesiae efformanda Angelici Doctoris sacra et caelesti imbuatur doctrina;* ubi enim iuventus ipsa se in disciplinam et clientelam eiusdem Angelici Doctoris tradiderit, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata» (*Litterae Apostolicae* de ecclesiastica Hierarchia in Mexico ordinanda, datae die 23 iunii 1891, op. cit., 239). «Intelligimus enim catholicum clerum eo solidiori scientia rerum divinarum imbutum iri quo plenius ac penitius S. Thomae Aquinatis doctrinis fuerit imbutus» (*Epistula* ad R. P. J. Berthier, data die 29 augusti 1892, op. cit., 242). «Quo magis enim S. Thomae doctrinis clerus... fuerit imbutus, eo validioribus solidae scientiae praesidiis prodibit instructus, adeoque magis frugiferum et utile ministerium eius penes fideles futurum erit. Quin etiam ii qui catholicam veritatem fallacibus impetunt argumentis, propugnatores eius paratiores, atque ad strenuam defensionem egregiis munitos armis reperient» (*Epistula* ad Patriarcham Venetiarum, data die 26 martii 1881, op. cit., 217-218).

Quodsi Theologiam sacram florere videat et pergere secundum S. Thomae placita, vehementer laetatur. Ita ex animo gratulatur Archiepiscopo Mediolanensi de eo quod in Facultate Theologica Mediolani restituta «*res theologica... ad rationem et viam Aquinatis secundum praescripta nostra* recte optimeque procederet». Statimque subiungit: «certe Doctrina Sacra, magistro Thoma et patrono percepta, quam valde possit ad summas cleri et populi utilitates, illustrius in dies magna animi consolatione videmus» (*Epistula* data die 31 iulii 1893, op. cit., 254).

Thomam sequentes, recta via incedent in quaerenda intelligentia mysteriorum fidei, quantum status viatorum permittit. Ideo «rectum est iuvenes in Academiis et Scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae concludenda: gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta. Non enim excipit Theologia sua princi-

pia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis (S. Thomas, Summa theol. I, q. 1, a. 5 ad 2). Quae Sacrae Doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem Aquinatem» (Encyclica *Providentissimus Deus*, data die 18 novembris 1893. Acta, ed. cit., IV, 28).

Nec solum Thomas est magister habendus in Theologia quam speculativam vocant, sed et in Theologia positiva et in Exegesi Biblica. «Providendum est, inquit, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes, ne iustam frustrentur spem, seu quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. *Erunt autem optime comparati si, qua nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, Philosophiae et Theologiae institutionem eodem S. Thoma duce religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent cum in re biblica tum in ea Theologiae parte quam positivam nominant, in utraque laetissime progressuri*» (ibid.).

Quod et exemplo suo confirmavit Pontifex. Ipse namque in Litteris suis Encyclicis doctissimis et saluberrimis ducem ac praeceptorem habuit semper Thomam Aquinatem, prout videre est in istamet Encyclica *Providentissimus Deus* de studiis Sacrae Scripturae, in Encyclicis *Immortale Dei* et *Sapientiae Christianae* de christiana constitutione statuum deque officiis civilibus christianorum, in Encyclicis *Rerum Novarum* et *Libertas* de rebus socialibus et politicis, in Encyclica *Satis cognitum* de unitate Ecclesiae, in Encyclicis *Tametsi* et *Mirae caritatis* de Christo Redemptore et Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, in Encyclica *Divinum illud munus* de actione Spiritus Sancti in animas iustorum, et in aliis compluribus.

Has omnes theologiae thomisticae singulares approbationes atque commendationes B. Pius X fecit suas, qui et in praecipuis laudibus Leonis XIII asserit esse instaurationem doctrinae S. Thomae. Is enim «Theologiae ducem magistrumque... restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma elaboravit ad tuendam veritatem multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos per quam idonea: si quidem quae nata ad utilitatem omnium temporum Sancti Patres Doctoresque Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea *nemo Thoma aptius*, colligendo ex eorum scriptis, composuit, *nemo luculentius* illustravit (Litterae Apostolicae *In praecipuis*, datae die 23 ianuarii 1904. Acta Pii X, ed. Bonne Presse, I, 124).

Gaudet autem et ipse plurimum Theologiae studia in Universitate Friburgensi Helvetiorum «a sodalibus Dominicanis tradi, qui honestissimas scientiae, imprimis sacrae, consecuti laudes, *securitatem* iniiciunt *magisterii*, habentque domesticum in Theologia lumen divum Thomam Aquinatem, quem non principem solum, sed scholarum sacrarum ducem magistrumque et Leo XIII decessor noster iussit esse, et nos cum uberrimi certitudine emolumenti confirmavimus» *(Littera* ad Episcopum S. Galli, data díe 6 februarii 1906, apud Berthier, op. cit., 274).

Quos insuper hortatur «ut *nemo ne latum quidem unguem ab Ecclesiae normis in docendo discedat,* reiectisque eorum fallaciis qui modernistae audiunt, *Sacrae Doctrinae ac penitioris Philosophiae fontes ex divite vena Doctoris Angelici attingant» (Epistula* ad Professores Facultatis Theologicae Friburgensis apud Helvetos, data die 11 iulii 1998, op. cit., 277). Quandoquidem *qui a Thoma discedunt in re praesertim theologica, iidem videntur eo ultimo agi ut ab Ecclesia desciscant (Epistula* ad R. P. Pègues, data die 17 novembris 1907, op. cit., 276).

Ex adverso, *ducem sequi Thomam idem est ac numquam a christianae veritatis regula aberrare (Epistula* ad R. P. Velázquez, data die 7 martii 1909, AAs. 1 [1909] 275). **«Nec sane tutior ulla haberi potest hoc in genere institutio quam quae ducem sequatur ac magistrum Thomam,** unde tantum hauserunt luminis ac firmitatis qui de rebus divinis ad eius mentem conscripserunt» *(Epistula* ad R. P. Lottini, data die 8 augusti 1910, AAS. 2 [1910] 724). Ideo «*S. Thomae Aquinatis doctrinam permagni facimus, qua profecto velimus studiosos imbui omnes,* ut prava de divinis humanisque rebus scita, quae ubique irrepserunt, evellantur, et christiana veritas perspicue cognita in omnium animis penitus haereat» *(Epistula* ad R. P. Çormier, data die 4 augusti 1913. AAS. 5 [1913] 387-388). «*Aquinatem enim deserere, in re philosophica praesertim et theologica,* uti iam diximus, *non sine magno detrimento esse potest;* **ipsum sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem»** (Motu proprio *Praeclara,* die 24 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 335). «Cuius aurea doctrina mentes splendore suo illuminat; *cuius via et ratio usque ad profundissimam divinarum rerum cognitionem* **sine ullo erroris periculo** *perducit»* (ibid. 334).

Additque haec gravissima verba, quibus Aquinati singularis omnino tribuitur auctoritas doctrinalis in Ecclesia: «*quod si alicuius auctoris vel sancti a nobis nostrisve decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus, atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae,* **facile intelligitur eatenus comprobata qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret»** (Motu propio *Doctoris Angelici,* die 29 iunii 1914. AAS. 6 [1914], 338).

Igitur Theologia, quae in scholis catholicis traditur, est omnino exigenda ad germanam doctrinam S. Thomae, «Sacraeque Theologiae magistri... probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed *ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant»* (ibid.).

Imo «ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis, atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui numquam excidere debuerat, revocato, *de ipsa Summa Theologica habeantur scholae;* eo etiam, quia hoc libro commentando facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum Sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Con-

cilium in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit» (ibid.).

«Itaque **ut genuina et integra S. Thomae doctrina in scholis floreat quod nobis maximi cordi est, ac tollatur iam illa docendi ratio quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur, ob eamque rem mutabile habet fundamentum ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno scientiae christianae detrimento** (Leo XIII, Epístula *Qui te,* data die 19 inuii 1886), **nos volumus, iubemus, praecipimus,** *ut qui magisterium Sacrae Theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lycaeis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habent ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi,* **Summam Theologicam S. Thomae tamquam praelectionum suarum textum habeant** *et latino sermone explicent;* **in eoque sedulam ponant operam, ut erga illam auditores optime afficiantur... Sic autem et non aliter fiet ut non modo in pristinum decus revocetur Theología, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quidquid intelligentia et ratione tenetur quodammodo revirescat.»** (Ibid. 340).

Ipsemet Romanus Pontifex authentice declaravit vim sensumque verborum suorum in Audientia quam dedit professoribus et studentibus Athenaei urbani *Angelicum* die 28 iunii 1914, cuique nosmetipsi Dei munere praesentes eramus. Ibi dixit B. Pius X *se nolle in Ecclesia Dei aliam doctrinam quam Thomae,*

quippe quae est ipsamet doctrina Ecclesiae pura, sana, integra, imo doctrina ipsius Christi ipsiusque Dei.

Quibus ex verbis plane etiam intelliguntur ea quae paucis antea diebus scribebat ad Collegium Anselmianum de Urbe: «quo autem salubriores hoc privilegium [conferendi omnes gradus academicos in philosophia et Theologia] et Ordini et Ecclesiae fructus ferat, **volumus et praecipimus ut Professores Collegii Anselmiani in re tum philosophica tum theologica doctrinam semper sequantur Aquinatis,** *atque in praelectionibus Sacrae Theologiae pro alumnis qui ad academicos gradus contendunt, ipsum textum S. Thomae adhibeant»* (Motu proprio *Praeclara,* die 24 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 335).

Eeadem incunctanter retinet Benedictus XV: «**sanctum et salutare est, ac paene necessarium in scholis catholicis, ubi ad philosophiae ac theologiae scientiam instituitur sacra iuventus, summum haberi magistrum Thomam Aquinatem.** *Ita quae a decessoribus nostris, praesertim Leone XIII et Pio X fel. rec., hac. de re sapientissime constituta sunt,* **omnino opus est salva et inviolata consistere.** Sed etiam valde opportunum putamus, si Doctor Angelicus tamquam ex adytis scholae prodeat, et ad omnes qui in religione altius cupiunt erudiri, lumen prope divinum afferat ingenii sui. *Constat enim Modernistas, qui dicuntur, ideo tam longe a Fide in tantas opinionum varietates aberrasse, quod S. Thomae principia disciplinamque neglexerint». (Epistula*

ad R. P. Hugon, data die 5 maii 1916. AAS. 8 [1916] 174).

«Nostis enim — scribit ad R. P. Theissling — non minus quam sapientissimum decessorem nostrum nos Aquinatis gloriae studere, ac *velle ut hic tantus Doctor, quo inimicitius ab haereticis* huius aetatis appetitur, *eo impensius ab alumnis Eccelssiae* **in philosophiae cultu sacrisque disciplinis tamquam dux et magister observetur»** *(Epistula* data die 17 novembris 1918. ASS. 10 [1918] 480).

Equidem ipse est «quo maxime Dominici alumno vere Deus Ecclesiam suam illuminare dignatus est» (Encyclica *Fausto Appetente,* dada die 29 iunii 1921. AA. S. 13 [1921] 334); ipse etiam mirabili sua sapientia et sanctitate omnes veri bonique amatores sibi devincit. Nam «*quis severis disciplinis deditus, modo cum discendi studio amorem Ecclesiae sanctae coniungat, non religiossime sequatur Thomam Aquinatem, cuius certe doctrina, divinae providentiae munere, illuxit Ecclesiae ad verum confirmandum omnesque in reliquum tempus errores convincendos?* **Atque huic Ordini** [Praedicatorum] **laudi damdum est non tam quod Angelicum Doctorem aluerit quam quod numquam postea, ne latum quidem unguem, ab eius disciplina discesserit»** *(Epistula* ad R. P. Theissling, data die 29 octobris 1916. AAS. 8 [1916] 397).

Ideo ad Theologorum Collegium Bononiense scribit: «probe autem novimus debito in honore ibidem esse Thomam Aquinatem, cuius doctrinas decessores nostri illustres Leo XIII et Pius X maximis extulerunt laudibus **easque scholis catholicis religiose retinendas praescripserunt»**. Hoc et ipse vehementer laudat. Simul tamen Facultatem istam Theologicam monet *de obligatione sancte tenendi principia S. Thomae* deque ipsa Summa Theologica in scholis theologiae praelegenda, iuxta praescripta Motu proprio *Doctoris Angelici* (Motu Proprio *Sacrae Theologiae,* die 3 decembris 1914. AAS. 6 [1914] 690, 691).

Idem praecepit in statutis iussu eius retractatis Romanae Academiae S. Thomae Aquinatis, die 12 martii 1915 (AAS. 7 [1915] 129). Ac die 7 martii 1916 auctoritate sua confirmavit ordinationem B. Pii X de adhibenda Summa Theologica uti textu praelectionum in omnibus Facultatíbus theologicis Italiae et adiacentium insularum: «Summa Theologica S. Thomae habenda est uti textus praelectionum quoad partem scholasticam quaestionum; ita scilicet ut, una cum aliquo textu qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat, habeatur prae manibus et explicetur Summa theologica quoad partem scholasticam» *(Responsio* Sacrae Congregationis de Seminariis et studiorum Universitatibus. AAS. 8 [1916] 157).

Valet autem plurimum Aquinatis sapientia theologica non solum in re dogmatica et morali, sed et in Apologetica, et in Ascetica et Mystica, et in Catechetica.

In Apologetica quidem, ut scribit ad R. P. Garrigou - Lagrange: «*mirifice ad chistianam sapientiam cum illustrandam tum defendendam valere Aquinatem.* ex tuo quoque libro *De revelatione* nuper edito elucet... In quo explicans quae ad Apologeticam fundamentalis, ut aiunt, theologiae partem, ita S. Thomae disciplina et ratione uteris, ut egregie non solum ve-

teres sed et recentiores etiam christianae fidei adversarios convincas» (*Epistula* data die 14 februarii 1919. AAS. 11 [1919] 121).

In Ascetica et Mystica etiam, «quandoquidem *ad ea illustranda quae ad spiritum pertinent, in vita tum ascetica tum mystica, plurimum valere doctrinam S. Thomae nemo ignorat,* ipsique non semel occasione data professi sumus» (*Epistula* ad R. P. Bernadot data die 15 septembris 1921 AAS. 13 [1921] 528). «Ipse namque Scripturae Sacrae Sanctorumque Patrum doctrinam de elevatione vitae supernaturalis lucidissime exposuit; ac praeterea quibus conditionibus proficiat gratia virtutum et donorum Spiritus Sancti, quorum perfectio vita mystica continetur» (ibid.).

In re quoque Catechetica, uti apparet ex verbis quibus vehementer gratulatur R. P. Pègues de edita ab eo Summa Theologica S. Thomae gallice ad modum Catechismi, *La Somme Théologique de saint Thomas d'Aquin en forme de catechisme pour tous les fideles,* Paris, 1918. Qua occasione arrepta Summus Pontifex declarat S. Thomam Magistrum esse atque Doctorem totius Ecclesiae, idest omnium fidelium tam clericorum quam laicorum seu sapientum seu simplicium, et quidem in omne tempus. «*Praeclara,* inquit, *de Thoma Aquinate praeconia Apostolicae Sedis* **iam neminem catholicum dubitare sinunt quin ideo ille sit excitatus divinitus ut haberet Ecclesia quem doctrinae magistrum maxime in omne tempus sequeretur**. Consonum autem videbatur singularem viri sapientiam non modo sacri cleri hominibus, verum omnibus quicumque religionis altius studia colerent, atque ipsi multitudini, directo patere: *natura*

enim fit ut quo propius ad lumen accesserit, eo quis uberius collustretur» (*Epistula* data die 5 februarii 1919. AAS. 11 [1919] 71).

Tandem has omnes approbationes atque commendationes legem voluit esse universalis Ecclesiae in perpetuum et inviolabiliter servandam, siquidem in Codice Iuris Canonici inseruit huiusmodi praescriptionem: «*Philosophiae rationalis ac Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem* **professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant**» (can. 1366, § 2). Quibus in verbis, ut recolit Pius XI, «Angelici Doctoris ratio, doctrina et principia **plane consecrantur**» (Encyclica *Studiorum Ducem,* die 29 iunii 1923. AAS. 15 [1923] 314) et veluti canonizantur.

Hac lege S. Thomas revera assumptus est in magisterium ipsius Ecclesiae, ac litteraliter impletum est vero totalique sensu effatum illud eiusdem Benedicti XV: ««**Thomae doctrinam Ecclesia suam propriam edixit esse**» (Encyclica *Fausto appetente,* data die 29 iunii 1921. AAS. 13 [1921] 332).

Iure igitur Pius XI primaevum titulum *Doctoris Communis Ecclesiae* Aquinati tributum recognovit eique restituit: «nos vero haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus ut non modo Angelicum, sed etiam *Communem seu Universalem Ecclesiae Doctorem apellandum putemus Thomam,* **cuius doctrinam, ut quamplurimis in omni genere litte-**

rarum monumentis testata est, suam Ecclesia fecerit» (Encyclica *Studiorum Ducem,* data die 29 iunii 1923. AAS. 15 [1923] 314).

Ceterum Summus iste Pontifex, vestigia sequens praedecessorum suorum (1), edixit: «**omnino quae hac de re sunt in iure canonico providentissime statuta, ea sancte inviolateque observari debent,** siquidem consilium est sacerdotum parare copiam qui tantae magnitudini muneris impares non sint« (Epistula Apostolica *Officiorum omnium,* data die 1 augusti 1922. AAS. 14 [1922] 454-455). Eaque ad Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum totius Ecclesiae applicans, decrevit: «in Facultate theologica principem locum teneat *sacra Theologia.* Haec autem disciplina methodo cum positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex Sacra Scriptura et Traditione demonstratis, **earum veritatum naturam et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur»** (Constitutio Apostolica *Deus scientiarum Dominus,* data die 24 maii 1931. AAS. 23 [1931] 253.

Atque ut nulla Ecclesiae pars maneret exempta ab hac obligatione sequendi Thomam, eamdem ad clerum regularem extendit: «verum enimvero id *sanctum vobis inviolatumque esto* quod in Epistola Apostolica

(1) «Si, Eminenza, noi cammineremo, per cuanto Iddio ci concederà, sulle orme dei nostri predecessori» (*Allocutio* ad Membra Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis Praeside Card. Bisleti, habita die 18 martii 1923, apud M. Cordovani, *S. Tommaso nella parola di S. S. Pio XI,* «Angelicum» 6 [1929] 6).

de Seminariis et de studiis clericorum, *iuri canonico congruenter,* ediximus, scilicet ut **in tradendis philosophiae et theologiae praeceptis magistri fideliter scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas sequantur.** Scholasticam enim disciplinam angelicamque *Thomae sapientiam, quam decessores nostri nullo non tempore amplissimis honestarunt laudibus,* num quis ignorat ut ad revelatas veritates inlustrandas sic ad errores cuiusvis aetatis mirifice refutandos natam aptam esse? Etenim Angelicus Doctor — ita immortalis memoriae decessor noster Leo XIII, Encyclica *Aeterni Patris* — divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus... illud a se impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellaverit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit (Epistola Apostolica *Unigenitus Dei Filius* ad summos moderatores ordinum regularium aliarumque sodalitatum religiosorum virorum, data die 19 martii 1924. AAS. 16 [1924] 144).

Quam ob rem *Tractatus dogmaticos* R. P. Ed. Hugon sibi admodum placere significavit hisce verbis: «*nobis* autem tractatus istos, dilecte fili, tuos, quibus ad modum commentarii in praecipuas quaestiones dogmaticas Summae S. Thomae rem theologicam in studiosorum utilitatem explanas, *scito admodum probari,* **eo vel magis quod ea praeoccupasse videris quae, data ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii Seminariis et Studiorum Universitatibus curandis Epistola Apostolica, haud ita pridem nosmetipsi praecepimus. Secutus enim es, ut ibi tum monebamus, non solum rationem seu me-**

thodum, verum etiam doctrinam et principia S. Thomae; *et theologiam positivam, quam vocant, etsi totius tractationis nullam non partem attingit, ita tamen scholasticae servire iussisti, ut principem haec locum, quemadmodum aequum erat, obtineret.* Iam non igitur opus tuum sterili quadam dogmatum recensione constat, immo etiam prae se fert verum atque solidum disciplinae corpus, ex principiis et conclusionibus compactum: in eoque placet praeterea, cum rerum orationisque perspicuitatem, tum studium commendare quo soles, occasione data, pietatis igniculos opportunis commentationibus lectoris animo iniicere. Itaque pergito alacer ad mentem Aquinatis sacras verbo scriptisque disciplinas iuvenibus sacerdotio initiandis tradere» *(Epistula*, data die 25 februarii 1923. AAS. 15 [1923] 209.

Neque tantum clerici hac doctrina saluberrima sunt imbuendi — qua de re Cardinali Archiepiscopo Bononiensi Nassali Rocca et Professoribus Facultatis Theologicae bononiensis vehementer gratulatur quod a purissimis Aquinatis fontibus sapientiam hauriant qua alumnos suos imbuant, ut iussis hortationibusque suis suorumque praedecessorum obsequantur *(Epistula* data die 11 ianuarii 1924. AAS. 16 [1924] 90) — verum etiam laici ad christianam sapientiam uberius excolendi atque informandi. Quam ob causam magnis laudibus prosequitur Sacrorum Antistites totius regionis Aemiliae pro cursibus in hunc finem paratis *(Epistula* data die 7 iulii 1925. AAS. 17 [1925] 375); plurimumque gaudet quod Professores Instituti Catholici parisiensis sic Thomam Aquinatem ducem sequantur ut eius doctrinam, quasi postliminio reversam, non modo clerus sed etiam ex intelligentibus laicis plurimi degustent ac teneant *(Epistula* ad Card. Lucon, data die 18 octobris 1925, ibid. 574).

Equidem «la doctrina di S. Tommaso è luce che da Dio discende e a Dio risale. Veramente in quest'uomo le cui virtù e doctrina — come fu ben detto — fecero di lui *il più docto tra i santi e il più santo tra i dotti*, volle l' infinita sapienza stampare di sè orma più vasta ed accendere riverberato uno dei raggi più fulgidi del suo lume immortale... *Non è meraviglia che la Chiesa abbia fatta sua questa luce e se ne sia adornata ed abbia con essa illustrata la sua doctrina immortale... Non è meraviglia se* **tutti i Papi abbiano fatto a nobilissima gara nell' esaltarlo, proporlo, inculcarlo, come modello, maestro, dottore, patrono e protecttore di tutte le scuole».**

Quod ad se spectat, ipse «*raccomanderà sempre a tutti i veri amici della fede e della scienza, del vero naturale e del vero rivelato,* **di serbarsi fedeli a S. Tommaso e alla sua docttrina»** *(Allocutio* ad membra Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis habita die 18 martii 1923, apud M. Cordovani, *San Tommaso nella parola di S. S. Pio XI,* «Angelicum» 6 [1929] 6).

Revera Thomas Dux est et Magister studiorum ac Universalis Doctor Ecclesiae, ut data opera ostendit Summus Pontifex in sua Encyclica *Studiorum ducem.* Studiorum nempe in maioribus disciplinis, praesertim sacris, in quibus mirabili cognatione adunantur scientia veri nominis et pietas. «Haec autem doctrinae

cum pietate, eruditionis cum virtute, veritatis cum caritate societas, singularis prorsus exstitit in Angelico Doctore; cui quidem iure insigne solis attributum est, utpote qui, scientiae lumen mentibus afferendo, igniculos virtutum in voluntate iniiciat. Qui est igitur omnis sanctitatis et sapientiae fons Deus, omnino videtur ostendere in Thoma voluisse quemadmodum altera ex his rebus alteram adiuvet, idest virtutum exercitatio ad veritatis contemplationem componat, ac vicissim subtilior veritatis meditatio virtutes expoliat atque perficiat» (AAS. 15 [1923] 309-310).

Porro Thomae opere atque labore Theologia Sacra ad summum dignitatis culmen evecta est, sive agatur de re apologetica, sive de re dogmatica et morali, sive de re ascetica et mystica, sive de re biblica et liturgica, prout videre est in officio quod exaravit de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Divinae namque Eucharistiae non solum theologus, sed et vates et praeco maximus habetur; ac proin *Doctor Eucharisticus* est etiam appellatus (ibid., 317-320). «San Tommaso è il cantore dell'Eucarestia e il suo Dottore: *Cantor et Doctor Eucharisticus;* cantore soave, sublime, luminoso, anche quando non ha versi e misure precise. Allorché tratta della Divina Eucarestia, egli ci porta al centro che fu suo centro, al segreto che fu suo segreto, all'alimento della sua purezza, al cibo celeste che fu suo nutrimento angelico» (*Allocutio* ad Professores et studentes Collegii «Angelicum», habita die 12 novembris 1924, apud *Xenia Thomistica,* III, 600-601. Romae 1925). Haec omnia maxime relucent in eius Summa Theologiae quae «è il cielo veduto dalla terra» (ibid. 600).

In huiusmodi Allocutione ipsemet Pontifex authentice declaravit quo in sensu S. Thomas sit studiorum Dux et Doctor Communis Ecclesiae, prout eidem tribuerat in Encyclica *Studiorum Ducem.*

Studiorum Dux: «**di tutti gli studi e nel metodo di tutti gli studi.** E capitale la questione del metodo. Perchè la scienza riesca severa, luminosa, il metodo è tutto. Sbagliato il metodo, smarrita la via, non si procede innanzi; e perciò è necessaria una guida. Tommaso è la guida, il *Dux in via...*

«Di un metodo che insegni come si preparano, a così dire, gli spazi nello spirito, che formi quasi un casellario spirituale. Quando abbiamo molte cose da tenere ordinate ciascuna a suo posto, occorre un casellario, come si hanno gli schedari negli archivi, nelle biblioteche. Gli spazi intellettuali, ove ordinatamente venga a riporsi e sistemarsi ogni cognizione, li abbiamo da ciò che diciamo *il metodo;* e *S. Tammaso per questo è maestro inarrivabile,* e perciò egli è il *Duce degli studi.*

Doctor Communis: **Dottore di tutta la Chiesa, di tutta la scienza, di tutto lo scibile;** *caratteristica che si avvicina alla virtù divina.* In pochi intelletti spavillò così luminosa la partecipazione dell'intelletto divino, per cui ci vien fatto di chiederci se in altre menti l'Eterno Fattore parve di Se «più vasta orma stampar». **Nel suo insegnamento si riscontra una delle caratteristiche del libro divino per eccellenza.** *In tutte le occorrenze della vita, per tutti i problemi che ci si posono presentare, quel libro ha una parola e una soluziane da suggerirci. Tale è la caratteristica del Santo Vangelo, perchè è la parola di Dio.*

Qualche cosa di questa caratteristica divina e in San Tommaso, *nei suoi libri classici: la Somma Filosofica e la Somma Teologica.*

In questi libri ben letti, ben consultati, v'e una parola e una soluzione per tutte le questioni che ci si possono presentare: parola sicura, parola geniale; *essi sono due libri che riassumono l'universo intero, cielo e terra.* **La Somma Teologica e il cielo veduto dalla terra, e la Somma contra Gentiles e la terra veduta dal cielo... Ed e perció che San Tommaso meritó il nome di Doctor Communis.**

Sia sempre egli dunque la vostra luce; i suoi libri siano i vostri consulenti continui; **dai suoi libri attingete sempre la veritá:** *bene e instancabilmente studiati,* **essi vi daranno la risposta a tutte le vostre domande** *con inmenso beneficio per la vita»* (op. cit., 599-600).

Et inde concludit in Encyclica *Studiorum Ducem:* «quemadmodum igitur olim Aegyptiis in summa annonae caritate dictum est *Ite ad Joseph,* a quo sibi ad alendum corpus frumenti suppeditaretur copia, ita *iis quotquot nunc sunt in desiderio veritatis* **Ite ad Thomam** *nos dicimus, ut ab eo* **sanae doctrinae pabulum,** *quo affluit, in sempiternam suorum animorum vitam petant»* (AAS. 15 [1923] 323).

Tandem Pius XII, decessorum suorum consilia atque vestigia sequens, urgere dicit et *vim obligandi* habere praecepta in Codice iuris canonici et in Constitutione *Deus scientiarum Dominus* **decretorio modo**

asserta de doctrina theologica S. Thomae sequenda et tradenda in scholis catholicis, quippe quae, ultra et supra quodlibet tempus solida rupe innisa, perpetuo viget, valetque catholicae fidei depositum efficaci praesidio etiam nunc tueri: valet insuper novis investigationibus porro ducendis viam parare securam, eisque completis, tuto ac prudenter progressibus uti. Hisce enim in disciplinis «Doctor Angelicus dux *semper* peritissimus et *innoccidua lux* est, emolumento *perenniter* mansuro» (*Allocutio* ad Patres Ord. Praed. adunatis in Capitulo Generali, habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387-388): «*hoc itinere ad veritatem cognoscendam et solidandam tuto proceditur*» (ibid.).

Sodales autem Societatis Jesu monet ut «*omni diligentia suas observent leges quae ipsis praecipiunt ut tamquam solidiorem, securiorem, magis approbatam Constitutionibusque consentaneam doctrinam S. Thomae sequantur*» (*Allocutio* ad Patres Societatis Jesu adunatos in Congregatione generali, habita die 17 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 380).

«*Haec pondus habent legis, quae cunctis philosophiae et theologiae catholicis scholis viget*» (*Allocutio* citata ad Patres Ord. Praed., loc. cit. 388), atque ideo ab omnibus sancte atque inviolabiliter servanda. «Ea enim est —ait ad alumnos utriusque cleri studia sacra peragentes in scholis romanis— Aquinatis sapientia quae veritates rationi non impervias vivida luce illustratas aptissimo eodemque solido unitatis nexu mirifice colliget; ea est quae ad dogmata fidei de-

claranda et defendenda maxime aptetur; ea denique est quae grassantes primarios errores cuiusvis temporis efficienter valeat arcere et invicte debellare. Quapropter, dilectissimi filii, *animum afferte plenum amoris et studii erga S. Thomam:* **totis viribus incumbite utluculentam eiusdoctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini»** (*Sermo* habitus die 24 iunii 1939. AAS. 31 1939] 246).

«Angelicus siquidem Communisque Doctor Aquinas eos omnes qui e superioribus aetatibus defluxerant sapientiae rivulos veluti mare in se recipiens, *quidquid philosophando lucubrandoque humana ratio attigerat, id universum miro modo luculantaque perspicuitate digestum superna luce ex Evangelio radiante ita composuit ordinavitque ut reapse facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur.* Ac non modo divi Thomae doctrina ad veteres profligandas haereses aptissima evadit, atque ideo fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum exstat, sed ad pervincendos quoque errores perpetua vice renascentes novitatisque fucatos arma praebet validissima.

Ut igitur omnes, quotquot catholicas cuiusvis generis scholas celebrant, Thomam Aquinatem caelestem patronum colere, revereri atque imitari debent, ita *ii potissimum qui sic philosophicis in theologicis studiis exercentur ac nominatum sacri alumni qui ad sacerdotium divinitus vocati in spem Ecclesiae adolescunt* **eumdem ducem atque magistrum sequantur oportet,** *probe animo retinentes in doctrinis thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sanandа mala quibus nostra premitur aetas vim virtutemque singularem»* (*Epistula* ad R. P. Gillet, data die 7 martii 1942. AAS. 34 [1942] 97).

Ita, quae nostris hisce diebus inepte atque erronee a quibusdam propalata suntde mystico corpore Christi quod est Ecclesia, vitata essent, si Aquinatis doctrinam hac de re fuerint secuti. Exploratum est enim «quibus luculentissimis sententiarum luminibus scholasticae theologiae magistri ac *praecipue Angelicus Communisque Doctor* hac de re disputaverint; vobisque profecto est cognitum *prolata ab eo argumenta Sanctorum Patrum placitis fideliter respondere, quae ceteroquin nihil aliud referebant edisserendoque commentabantur nisi divina Sacrarum Litterarum eloquia»* (Encyctica *Mystici Corporis*, data die 29 iunii 1943. AAS. 35 [1943] 208).

Similiter nova exegeseos subsidia et adiumenta praebet penitior inspirationis biblicae vestigatio atque doctrina, Angelici principiis innixa. «Inter haec — ait Summus Pontifex — illud videtur peculiari mentione dignum, quod *catholici theologi*, Sanctorum Patrum ac *potissimnm Angelici Communisque Doctoris doctrinam secuti, inspirationis biblicae naturam et effectus aptius perfectiusque explorarunt ac proposuere quam praeteritis saeculis fieri assoleret.* Ex eo enim edisserendo profecti quod hagiographus in sacro conficiendo libro est Spiritus Sancti ὄργανον seu instrumentum, idque vivum ac ratione praeditum, recte animadver-

tunt illum, divina motione actum, ita suis uti facultatibus et viribus, ut propriam uniuscuiusque indolem et veluti singulares notas ac lineamenta ex libro, eius opera orto, facile possint omnes colligere. Interpres igitur omni cum cura ac nulla quam recentiores pervestigationes attulerint luce neglecta, despicere enitatur quae propria fuerit sacri scriptoris indoles et vitae conditio, qua floruerit aetate, quos fontes adhibuerit sive scriptos sive ore traditos, quibusque sit usus formis dicendi. Sic enim satius cognoscere poterit quis hagiographus fuerit, quidque scribendo significare voluerit» (Encyclica *Divino afflante Spiritu*, data die 30 septembris 1943. AAS. 35 [1943] 314).

Et post pauca: «a libris enim Sacris nulla aliena est illarum loquendi rationum quibus apud veteres gentes, praesertim apud orientales, humanus sermo ad sententiam exprimendam uti solebat, ea tamen conditione, ut adhibitum dicendi genus Dei sanctitati et veritati haudquaquam repugnet, quemadmodum, *pro sagacitate sua*, iam ipse *Angelicus Doctor* his verbis animadvertit (Comment. *ad Hebraeos*, cap. 1, lect. 4): *in Scriptura, divina traduntur nobis per modum quo homines uti solent.* Sicut enim substantiale Dei Verbum hominibus simile factum est quoad omnia absque peccato, ita etiam Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, excepto errore» (loc. cit. 315-316).

Pariter in quaestione illa de humanismo, quem vocant, de quo hodie nonnulli tantopere loquuntur, nec semper apte. «L' humanisme est maintenant à l' ordre pu jour. Sans doute est-il malaisé de dégager et de re-

connaître à travers son èvolution historique une idée claire de sa nature. Toutefois — bien que l' humanisme ait longtemps prétendu s' opposer formellement au Moyen-Age, qui l' a précédé — il n' en est pas moins certain que *tout ce qu' il comporte de vrai, de bon, de grand et d' éternel appartient à l' univers spirituel du plus grand génie du Moyen-Age, saint Thomas d' Aquin.* Dans ses traits genéraux, le concept de i' homme et du monde, tel qu' il apparait dans la perspective chrétienne et catholique, reste pour l' essentiel identique à lui-meme: tel chez saint Augustin, que chez saint Thomas ou chez Dante; tel encore dans la philosophie chrétienne contemporaine. L' obscurité de quelques questions philosophiques et théologiques, qui ont été éclaircies et résolues graduellement au cours des siècles, n' ôte rien à la réalité de ce fait» (*Allocutio* ad philosophos studiis humanitatis deditos, Romae coadunatos, habita die 25 septembris 1949. AAS. 41 [1949] 555).

Novisque surgentibus erroribus, aut certe errandi periculis, instantius urget reditum ad S. Thomam, ac vehementius imperat fidelitatem in servandis Ecclesiae praeceptis de Angelici doctrina sectanda, ut videre est in Litteris Encyclicis *Humani generis*, datis die 12 augusti 1950. «Hae vobis disputantibus et edisserentibus — inquit ad eos qui tertio thomistico internationali Conventui, Romae habito, interfuerunt — **tutum iter innuerunt, praelucente veluti radiantissimo sole S. Thomae Aquinatis doctrina**» (*Allocutio* habita die 17 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 734).

Sane, «quantum caelum supereminet terras, tantum

Divinae Revelationis vera supergrediuntur humanae mentis vires: illa his celsiora sunt, at minime quidem adversantur et repugnant; supra sunt, non contra. S. Thomas autem mira quadam alacritate hominis intelligentiam, nimio illo fulgore quasi haesitantem et suspensam, in templum mysteriorum Dei introducit, et argumentationis arte quaestiones exsolvens, efficit ut inter se divinarum et humanarum rerum convenientia resplendeat et appareat.

Nunc quoque quam acris ardeat certatio in stabiliendis rationibus, quae inter fidem et humano lumine haustas doctrinas mutuae sunt, supra memoratae nostrae Encyclicae Litterae demonstrant, quas quidem hoc consilio et proposito ducti edidimus ut catholicae fidei depositum integrum, illaesum et indemne servetur. Quas nos illic attingimus quaestiones, inter vos ac postea studiosae iuventuti cui vacatis pertractate, **nullo non tempore obtemperantes afflatui quo Angelicus Doctor vera perdidicit, summo nempe nisu intelligentiae ac religiosa pietate.** *Pertractate, eius methodo insistentes, qua semper is sententiarum continentiam et limites definit, sine inutili verborum effluentia, sed sobrio et solido sermone»* (ibid. 735).

«Quare — concludit in *Adhortatione* Apostolica ad Clerum universum, data die 23 septembris 1950 — ne sacrorum administrorum studia fluctuationibus vel dubitationibus miserum in modum haereant, maximopere vos, Venerabiles Fratres, hortamur omnes sedulo evigiletis ut quas Apostolica haec Sedes de huiusmodi studiis colendis certas constituit normas, eae integra fide accipiantur atque serventur» (AAS. 42 [1950] 688).

Atque in Praefatione Missae in honorem S. Thomae, quam ipse *S*ummus Pontifex conscripsit, Deo gratias agit eumque compellat hisce verbis: «qui Beatum Thomam Doctorem, vitae innocentia et ingenii sublimitate vere Angelicum, in Ecclesia tua suscitare voluisti, *ut eam saluberrima et firmissima communiret doctrina et Solis instar illustraret;* cuius sapientiam, *omnibus praecipue commendatam*, totus admiratur orbis terrarum» *(Missale* Ord. Praed., Praefatio Missae S. Thomae).

His ergo omnibus simul consideratis atque perpensis, sine ullius invidia candide *fatendum est Ecclesiam uni Thomae prae ceteris omnium temporum ecclesiasticis scriptoribus summam tribuisse auctoritatem theologicam, ac proin auctoritatem eius canonicam in re theologica esse omnium et singulorum, seu Patrum, seu Doctorum, revera maximam.*

Quam ob rem, merito scribit nuperrime J. Salaverri, S. J.: «*in Theologia...* **auctoritas S. Thomae est omnino singularis et maior in genere auctoritate alterius cuiuscumque Doctoris vel Theologi in Ecclesia Catholica»** *(De Ecclesia Christi*, n.° 872, p. 757. Matriti, 1950). Et iterum: «auctoritas... S. Thomae, quae canonica appellari potest, *maior est etiam auctoritate cuiuscumque alterius theologi catholici»* (op. cit., n.° 874, p. 758).

Art. 2. In re philosophica.

Quando philosophorum mentes fidem catholicam suscipiebant et philosophandi opus debita cum reverentia erga veritates fide retentas exercebant, nulla erat Magisterio Ecclesiae necessitas rationem naturalem ipsamque Philosophiam tutandi.

Ex quo tamen a tempore Renascentiae, quam appellant, maximeque Reformationis «placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quaelibet pro libitu ingenioque excogitandi» (Leo XIII, Encyclica *Aeterni Patris*, Acta I, 63), philosophia paulatim conversa est in errorum seminarium, et philosophi in artifices argumentorum contra rectam fidem; tantamque in deiectionem nobile hoc exercitium pervenit, ut rationem ipsam impeteret, et Philosophia, quae dicebatur, seipsam devoraret. Atque ita impletum est grande illud effatum Aquinatis: Philosophia «tamdiu est Sapientia quamdiu est subiecta sapientiae divinae; *sed quando recedit a Deo, tunc vertitur in insipientiam*» (Comment. *in I Epistulam ad Corinthios*, cap. 15, lect. 5). Quod quidem maxime evenit inde a criticismo Kantiano.

Quam ob rem Magisterium Ecclesiae, ut rationem et philosophiam sanaret, sicut gratia naturam lapsam, de restauratione et renovatione christianae veraeque philosophiae serio ac de industria occupatum est. Primo quidem, magisterio ordinario, Gregorius XVI et Pius IX contra errores fideismi sive traditionalismi exaggerati ex una parte, et rationalismi atque ontologismi necnon pantheismi ex alia. Dein Concilium

Vaticanum, solemni magisterio, eosdem damnavit errores, maxime quod ad revelationem et fidem motivaque credibilitatis spectat, itemque habitum inter fidem et rationem. Qua in re accuratissime distinxit, quin tamen nequaquam opponeret, rationem et fidem, philosophiam et theologiam, ordinem naturalem et ordinem supernaturalem.

Quibus medendis erroribus, ex abusu Philosophiae procedentibus, notaverunt Patres nihil esse aptius quam veram sanamque philosophiam instaurare, quae culmen attigerat perfectionis in S. Thoma Aquinate. Et inde, post Concilium interruptum malitia temporum, incoeperunt dispersi Patres litteras mittere ad Summum Pontificem Pium IX, petendo et supplicando ut Thomam declararet Patronum omnium scholarum catholicarum: siquidem, ut ipsi ultro citroque repetebant, omnigenorum scatet errorum colluvies ex despectu magisterii Angelici Doctoris; eo autem instaurato atque recepto, dissipabuntur. Eminebant autem inter Patres haec scribentes Cardinalis Neapolitanus Riario Sforza et Cardinalis Perusinus Joachim Pecci, qui ambo adstiterunt Concilio Vaticano in eoque magnas habuerunt partes.

Mortuo interim Pio IX die 18 februarii 1878, in successorem eius electus est die 20 eiusdem mensis Cardinalis Pecci, qui nomen accepit Leonis XIII. Hic ergo, vota excipiens totius Ecclesiae, ex quo Supremum conscendit Pontificatum totos nervos suos intendit in sana et robusta philosophia restituenda, urgen-

da, propaganda, imo et apostolica sua auctoritate praescribenda: «quo validius contendunt religionis hostes imperitis hominibus ac iuvenibus praesertim ea discenda proponere quae mentes obnulibent moresque corrumpant, eo alacrius adnitendum est ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, praesertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet; quaeque non ad evertendam divinam revetionem spectat, sed ad ipsam potius sternere viam gaudet, ipsamque ab impugnatoribus defendere, quemadmodum nos exemplo scriptisque suis Magnus Augustinus et Angelicus Doctor ceterique christianae sapientiae magistri docuerunt» (Encyclica *Inscrutabili,* data die 21 aprilis 1878. Acta, ed. cit. I, 18).

Hanc vero esse potissimum philosophiam S. Thomae, significavit viro doctissimo A. Uccelli, qui editionem curaverat codicis autographi *Summae contra Gentiles:* «gratulamur tibi plurimum..., quod curas laboresque tuos in hoc tam insigne opus contuleris, *in quo S. Doctor divite vena thesauros penitioris philosophiae effundit,* et arma praebet ad refellendos nostri temporis errores peropportuna» *(Epistula* data die 7 decembris 1879, apud Berthier, op. cit. 178).

At praesertim data opera philosophiam Aquinatis inculcat et sequendam praescribit celeberrimis Litteris Encyclicis *Aeterni Patris,* datis die 4 augusti 1879.

Equidem, si quis in mala quibus nostra premitur aetas oculos coniiciat, is facile comperiet «fecundam

malorum causam tum eorum quae patimur cum eorum quae pertimescimus in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iampridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur; atque ita contingit ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet». (Encyclica *Aeterni Patris.* Acta, ed. cit. I, 44). Non quod tota humana salus sit ex philosophia exspectanda, cum potius sit reponenda in gratia Dei quae est per Jesum Christum; verumtamen «neque spernenda neu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio fortiter suaviterque omnia disponentis hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum» (ibid.).

Valet autem vera sanaque philosophia tria praestare adiumenta catholicae religioni. *Primo* quidem viam ad eam sternendo per demonstrationem praeambulorum fidei, nempe exsistentiae unius Dei personalis a mundo distincti, omnipotentis fallique et fallere nescii, ideoque et credibilitatis rationalis divinae revelationis; ita quidem ut, si ipse hominibus loquatur, debeant hi plenum assensum intellectus ei praebere. Eum autem

revera locutum fuisse, luculenter ostendunt miracula plurima a Deo ipso patrata in verbi sui confirmationem, quorum exsistentiam et vim probativam credibilitatis et credentitatis rationalis doctrinae divinitus revelatae humana ratio evidenter cognoscere valet.

Secundo, fide iam susceptis mysteriis divinitus traditis, philosophia iuvat ad ea utcumque intelligenda et explicanda, veluti instrumentum scientiae fidei quae sacra Theologia audit. Nimirum, ut verba adhibeamus eiusdem Pontificis, «perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiae usus ut sacra theologia naturam, habitum ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est ut multae ac diversae caelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant; demum, ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur.

Nec silentio praetereunda aut minimi facienda accnratior illa atque uberior rerum quae creduntur cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum quoad fiere potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus (Constitut. dogmatica de Fide Catholica, cap. 4) fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur qui cum integritate vitae fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem Synodus Vaticana doceat eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam tum ex eorum quae naturaliter cognoscuntur analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo peti oportere» (Encyclica *Aeterni Patris*, ed. cit. 50).

Tandem, hoc etiam «ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur» (ibid.).

Atqui haec tria rationis et philosophiae munera atque officia erga religionem catholicam, a Thoma iam perspicue indicata (Comment. *in librum Boethii De Trinitate*, q. 2, a. 3 c), philosophia ipsius Aquinatis tutissime atque plenissime implere valet.

Quidquid enim veri et solidi philosophi, Patres ceterique scriptores ecclesiastici decursu saeculorum de re philosophica invenerunt, ipse Thomas in se velut in mari collegit proprioque labore multipliciter adauxit, corpus efformans philophicum amplum, solidum, organicum ac perpetuo validum, utpote principiis innixum adeo firmis et universalibus ut tempora omnia temporumque vicissitudines non solum ambiant sed et praetergrediantur. Quo factum est ut, et infinitarum fere veritatum suo velut gremio concludat, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda, et errores omnes tam antiquos quam modernos et in posterum perpetua vice exorituros unus ipse debellarit, aut certe ad eos profligandos arma invictissima suppeditarit.

«Praeterea, rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utrius-

que tum iura conservavit tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta iam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari quam quae iam est per Thomam consecuta» (Encyclica *Aeterni Patris*, ed. cit, 64).

Nulla profecto sanior, nulla securior et Magisterio Ecclesiae conformior doctrina philosophica quam illa quae in Thomae voluminibus continetur (ibid., 70).

Dei exsistentiam, naturam, attributa, ceteraque fidei praeambula, nemo unquam tam valide demonstravit, ut vel ex sola inspectione unius *Summae contra Gentiles* apparet,

Defensionem pariter omnibus efficaciorem fidei catholicae in eodem opere complevit.

Postremo, elucidationes atque explicationes mysteriorum fidei tum ex eorum quae naturaliter cognoscuntur analogia tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, nemo tam veras, solidas et profundas dedit, prout in eius *Summa Theologica* videre est.

Ergo philosophia S. Thomae totis viribus est in scholis catholicis instauranda et promovenda, eamque magistri tradere et discipuli recipere tenentur. «Vos omnes, Venerabiles Fratres, *quam enixe hortamur* ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad omnium scientiarum incrementum, *auream S. Thomae sapientiam restituatis et quam latissime propagetis*» (ibid., 72), siquidem «*nihil nobis est antiquius et optabilius* quam ut sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes studiose iuventuti large copioseque universi praebeatis» (ibid., 70).

Insuper «*doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri a vobis intelligenter lecti in discipulorum animos insinuare,* **eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant**» (ibid., 74).

Atque graviter monet: «ne autem supposita pro vera neu corrupta pro sincera bibatur, *providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem iis rivis quos, ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est;* **sed ab iis qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate**» (ibid.).

Nimirum hisce in Litteris, ut ipsemet postea recolit frequenter, edixit planeque demonstravit «**optimam philosophandi formam eam esse quae ingenio studioque S. Thomae Aquinatis, totius sapientiae veteris opibus conquisitis, ad immortalitatem est elaborata**» *(Allocutio De necessario studio philosophiae S. Thomae,* habita die 7 martii 1880 ad ingentem cultorum hominum multitudinem ex omnibus christiani orbis regionibus Romam convenientium, apud Berthier, op. cit., 205).

«Quod enim saepenumero inculcavimus, id denuo inculcamus, **nullam esse videlicet philosophicarum disciplinarum tradendarum rationem seu ad veritatem assequendam aptiorem seu efficaciorem ad gliscentes errores profligandos quam**

quae fuit beati sapientissimique viri» *(Epistula* ad D. Mercier, Praesidi Instituti philosophici superioris Universitatis Lovaniensis, data die 2 ianuarii 1895, op. cit., 258).

Et hoc modo, «dum sanae philosophiae restitutioni consulturi S. Thomae doctrinam sectandam proposuimus, eo maxime spectavimus ut praesentium malorum radici securim admoveremus» *(Epistula* ad Episcopum Placentinum data die 9 octobris 1882, op. cit., 223).

«Ipse enimvero et principiis et philosophandi ratione mire valet ad causas omnes illustrandas, dirimendas, vel si perarduas temporum cursus adduxerit» *(Epistula* ad R. P. Coconnier, data die 12 iulii 1894, op. cit., 257).

Ideo «*exemplar proponimus in quo quid virtus, quid sapientia possit splendidissime relucet, virum nempe humanis divinisque disciplinis ad plenum imbutum tot saeculis insigni memoria cultum, Ecclesiae praeconiis Romanorumque Pontificum celebratum oraculis, angelicis ipsis mentibus exaequatum*» *(Allocutio* paulo antea cit., ibid. 205).

Hasce Supremi Pastoris Litteras et commendationes summo cum plausu exceperunt Cardinales, Episcopi, Moderatores Ordinum religiosorum, Facultates Philosophicae, Seminaria et viri sapientiores totius orbis catholici, qui et litteras dederunt admiratione ac veneratione plenas erga doctrinam S. Thomae. Quo veluti plebiscito et agnitus et proclamatus est Aquinas philosophorum princeps et universalis omnium Doctor.

Quibus aliisque ad Pium IX fusis precibus permotus, Leo XIII S. Thomam patronum declaravit omnium Universitatum, Academiarum, Lycaeorum Scholarumque catholicarum: «sibi enim non secus ac nobis exploratum esse affirmant in doctrinis thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam et ad sananda mala quibus nostra premitur aetas vim virtutemque singularem» (Breve *Cum hoc sit,* declarans S. Thomam Aquinatem patronum Scholarum catholicarum, datum die 4 augusti 1880. Acta, ed. cit. I, 110).

Hoc est autem causarum, quibus permovetur ad tantum honorem ei decernendum, caput et summa: «**eminere inter omnes S. Thomam,** *quem in variis scientiarum studiis tamquam exemplar catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia:* **doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita; obsequium fidei et cum veritatibus divinitus traditis summa consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum**» (ibid., 112).

Nec tamen hisce actibus adeo solemnibus quiescit Romanus iste Pontifex, sed magna animi contentione et perseverantia pergit commendare doctrinam Aquinatis. Ipse Academiam Urbanam a S. Thoma nuncupatam condidit, «ut eius Opera explanet, illustret, placita exponat et cum aliorum philosophorum sive veterum sive recentiorum placitis conferat; vim sententiarum earumque rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare et ad grassantium errorum refu-

tationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat» (*Epistula* ad Card. de Luca, de Romana S. Thomae Academia, data die 15 octobris 1879, apud Berthier, op. cit., 197); ipse curavit ut in Facultatibus et Seminariis Romanis «philosophicae disciplinae secundum mentem et principia Doctoris Angelici, enucleate, dilucide, copiose tradantur atque excolantur» (ibid., 198); ipsius iussu impensaque nova eaque critica editio aggressa est «quae cuncta omnino S. Doctoris scripta complectatur», una cum commentariis Caietani et Ferrariensis in *Summam theologiae* et in *Summam contra Gentiles*, per quos, «tamquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit» (ibid., 199, 200); ipse continuo urget Episcopos, Moderatores familiarum religiosarum et omnes viros doctos totius orbis catholici ut similia faciant in Seminariis et Academiis eorum curae commissis: «date igitur operam ut ad plures quotidie pertineat tanti Magistri disciplina; atque *in eius pervestigatione doctrinae hanc vobis ipsis legem dicite*, **ut talem amplectamini sententiam qualis ex illius admirabili proprietate et perspicuitate sermonis sponte emineat, non qualem praeiudicata aliqua opinio a communibus et probatioribus aliena forte suaserit**» (*Allocutio* supra citata, 206).

Et inde ad Praesidem et sodales Academiae Parmensis S. Thomae Aquinatis scribit: «**Ducem profecto ad tantum opus tutiorem illo nequibatis eligere,** cui sanctitas eximia cum ingenii vi et perspicuitate humanum excedente modum coniuncta Angelici Doctoris laudem comparavit» (*Epistula* data die 21 iunii 1880, apud Berthier, op. cit., 208), talisque cog-

nominis mensuram cumulate implesse videtur (*Epistula* ad Çard. de Luca, data die 15 octobris 1879, op. cit., 197).

In ipso revera sunt omnia quae verum Ducem et Magistrum constituunt sanae veraeque philosophiae: methodus recte philosophandi; doctrina philosophica firma, digesta, valida, secura; principia universalissima et fecundissima omnes praecipuas quaestiones omnium temporum ambientia eisque solutionem afferentia; stylus gravis, limpidus, concinnus; humanitas erga omnes philosophos una cum iusta libertate eorum placita discutiendi novaque proferendi; cum veritatibus divinitus revelatis summa consensio.

Methodus sive ratio recte philosophandi. Disciplina enim eius «plurimum ad excolendas sapienter hominum mentes semper valuit» (*Epistula* ad Episcopos provinciarum Mediolanensis, Taurinensis et Vercellensis, data die 25 ianuarii 1882, op. cit., 222). «Huius rei gratia, ut opera Magni Aquinatis essent in manibus et assidue apteque exponerentur, iam pridem monuimus, idemque saepius inculcavimus verbisque gravissimis. . Scilicet *disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad conformandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque:* nam res singulas dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se connexas et cohaerentes, omnes ad capita pertinentes suprema; tum in contemplationem erigit Dei qui rerum omnium et causa effectrix est et vis et summum exemplar, ad

quem demum omnis philosophia et homo quantus est debet referri» (Litterae Encyclicae *Officio Sanctissimo* ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae, datae die 22 decembris 1887. Acta ed. cit. I, 128).

Ideo laudat vehementer B. Lorenzelli quia disciplinae magni Aquinatis se iampridem dedisset totum, id praecipue contendens ut admirabilem qua ille excellit philosophandi rationem et viam tractando illustraret in suis *Philosophiae Theoreticae Institutionibus* (*Epistula* data die 3 decembris 1895, apud Berthier, op. cit., 201).

Gratulatur etiam plurimum Professoribus Facultatis Philosophicae Universitatis Washingtoniensis «eo praesertim, quod deliberatum omnino habeant **S. Thomae Aquinatis certissimam philosophandi rationem secundum praescripta nostra religiose persequi ducem**» (*Litterae* ad Card. Gibbons, data die 29 iunii 1895, op. cit., 260); «**cuius profecto persequi vestigia tanti refert quanti sapienter philosophari**» (*Epistula* ad Card. Bataglini, data die 20 novembris 1890, op. cit., 239). Est enim «**verissima atque omnium aptissima ratio philosophandi, quam cunctos vel in docendo vel in discendo ingredi vellemus**» (*Eptstula* ad Card. Deschamps, data die 25 decembris 1880, op. cit., 215).

Corpus doctrinae philosophicae firmum, digestum, validum, securum. «Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris

qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris requisse, superandi potestatem ademisse videatur... Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer» (Breve *Cum hoc sit,* Acta, ed. cit. I, 112).

Amplissima atque fecundissima principia praecipuas quaestiones omnium temporum ambientia eisque solutionem afferentia. «Atque illud est permagnum, quod eius doctrina cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata» (Breve *Cum hoc sit,* loc. cit.). Nam «philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos qui perpetua vice in posterum exorituri sunt arma invictissima suppeditarit» (Encyclica *Aeterni Patris,* Acta, ed. cit. I, 62).

Stylus gravis, concinnus, limpidus. «Qui pacato semper stylo et gravi forma dicendi utitur, non

solum cum docet veritatemque argumentis communit, sed etiam cum adversarios urget et insectatur» (*Litterae* ad Card. Deschamps ceterosque Belgii Episcopos, datae die 3 augusti 1881, apud Berthier, op. cit., 220).

Ac nuperrime Pius XII philosophis imitandam proposuit huiusmodi formam disserendi: «pertractate, inquit, eius methodo insistentes, qua semper is sententiarum continentiam et limites definit, sine inutili verborum effluentia, sed sobrio et solido sermone et claritate perspicuo» (*Allocutio* ad eos qui tertio Thomistico Conventui Romae habito interfuerunt, habita die 17 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 735).

Quam ob rem laudibus effert celeberrimum Antonium Muratori qui simili gaudebat dicendi forma: «a turgida illa scribendi ratione refugiebat tum invalescente, atque ab ampullis, a calamistris, a sexquipedalibus verbis, quae saepius in usu erant; ac sibi stylum seu scribendi genus effinxit quasi nudum, sed pressum, sed validum, sed perspicuum» (*Epistula* ad Archiepiscopum Mutinensem, data die 15 februarii 1950. AAS. 42 [1950] 297),

Humanitas erga omnes philosophos una cum iusta libertate eos discutiendi novaque proferendi. Ita, philosophiam summi omnium philosophorum Aristotelis «Angelicus scientissime omnium interpretatus est; hanc, erroribus scriptori ethnico facile excidentibus emendatam, *christianam fecit;* hac ipsemet usus est in exponenda et vindicanda catholica veritate. Hoc ipsum numeratur inter summa beneficia quae magno Aquinati debet Ecclesia, quod christianam Theologiam cum peripatetica philosophia iam

tum dominante tam belle sociaverit, ut Aristotelem Christo militantem, non iam adversarium habeamus» (Breve *Gravissime nos* ad Patres Societatis Jesu, datum die 30 decembris 1892, apud Berthier, op. cit., 247). Nimirum oportet ita veritates ab aliis iam detectas libenter amplecti, ut simul nova sincere perquirantur. «Utique videntur hodie nimis multi ponere ingenii laudem in fastidio antiquitatis: sed **omnino illa est philosophandi ratio optima, exquirere meditando nova, unaque simul sapientiam veterum non relinquere**» (*Epistula* de nova editione operum S. Alberti Magni ad bibliopolam Ludovicum Vives, data die 10 decembris 1889, op. cit., 237).

Cum veritatibus divinitus traditis summa consensio. «Evidenter enim S. Doctor demonstrat quae ex rerum genere naturalium vera sunt ab iis dissidere non posse quae Deo auctore creduntur: quam ob rem sequi et colere fidem christianam non esse humilem et minime generosam rationis servitutem, sed nobile obsequium quo mens ipsa iuvatur et ad sublimiora eruditur; denique intelligentiam et fidem a Deo ambas proficisci, non simultatum secum exercendarum causa, sed ut sese amicitiae vinculo colligatae mutuis officiis tueantur. *Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur.* In iis enim excellit atque eminet, modo intelligentia quae, quod vult, fide praeeunte, consequitur in pervestigatione naturae; modo fides, quae rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque ubi res postulat, ambae, quasi foedere

icto,ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur» (Breve *Cum hoc sit*, Acta, ed. cit. I, 112). «Quapropter **qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur;** *quandoquidem veritatum divinarum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit»* (Encyclica *Aeterni Patris*, ibid. 54).

Ergo «**qui vere philosophari volunt..., primordia et fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant**» (*Epistula* ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum, data die 25 novembris 1898, apud Berthier, op. cit., 264). **Eum sequi auctorem, laus est** (*Epistula* ad R. D. Heine, data die 8 augusti 1899, ibid.). Ex adverso, «**discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris Angelici res aliena est a voluntate nostra, eademque plena periculis...** Sanctum itaque sit apud omnes... Thomae nomen» (*Epistula* citata ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum, ibid.). *Si qui vero alii auctores* «**a documentis Magistri Communis dissideant, nihil tunc ambigendum quae recta sit via**», *nempe via Aquinatis* (*Breve* citatum ad Patres Societatatis Jesu, op. cit., 248).

Imo Thomam sequi Ducem, non laus tantum sed officium est, idque praecipuum: «**que ceux donc qui s' appliquent á l' enseignement et á l' étude de la Théologie et de la Philosophie, considérent comme leur devoir capital,** *après avoir laissé de coté les inventions d' une vaine philosophie,* **de suivre**

saint Thomas d' Aquin et de le cultiver comme leur maitre et leur chef» (*Epistula* ad Episcopum Verodunensem, data die 1 octobris 1901. Acta, ed. cit., VI, 273-274). «**Doctoribus vero aeque ac alumnis Thomam Aquinatem sequi ducem eiusque doctrinam colere incorrupte ac tueri, lex esto**» (*Motu proprio* quo Institutum Leonianum constituitur, die 22 augusti 1897, apud Berthier, op. cit., 263).

Neque hoc est auferre iustam libertatem investigandi veritatem, quin potius eam tuto dirigit et incolumen servat. «Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque *libera vult acie penetrare, nec non velle potest;* **verum, Aquinate auctore et magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius, quia tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis.**

«*Neque enim libertatem recte dixeris quae ad arbitrium libidinemque opiniones consectatur et spargit, immo vero licentiam nequissimam, mendacem et fallacem scientiam, dedecus animi et servitutem.* Ille reapse sapientissimus Doctor intra veritatis fines graditur, qui non modo cum Deo, omnis veritatis principio et summa, numquam decertat, sed ipsi adhaeret semper arctissime semperque obsequitur, arcana sua quoquomodo patefacienti» (Litterae Encyclicae *Officio Sanctissime* ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae datae die 22 decembris 1887, Acta, ed. cit., I. 128). Eius doctrina, utpote maxime omnium integra et eminens, «saeculari usu comprobata et ab Ecclesia prae ceteris laudata, mentibus non modo vim affert nullam, sed immo pabulum exhibet incorruptum et salutare» (*Breve* cita-

tum ad Patres Societatis Jesu, apud Berthier, op. cit., 246).

Nulla ratio disciplinarum melior, nulla methodus philosophandi tutior, nulla ad acuendas mentes in vestigatione veritatis efficacior. Hoc inculcat Leo XIII semel et iterum, opportune et importune. «Date igitur operam — scribit ad Card. Deschamps, de cathedra philosophiae thomisticae erigenda in Universitate Lovaniensi — legendis sapienter Magistris, tuendis vigilanter studiis optimis, et sic **statuite tanto meliorem disciplinarum fore rationem quanto ad doctrinam Thomae Aquinatis propius accesserit**» *(Litterae* datae die 25 decembris 1880, op. cit., 216). «*Saepius a nobis edictum est,* **tanto meliorem disciplinarum fore rationem quanto ad doctrinam eiusdem Aquinatis propius accesserit**» *(Epistula* ad R. P. De Maria, data die 14 ianuarii 1893, op. cit., 252).

«Recte pleneque philosophari ii nimirum possunt qui in disciplina et ratione Scholasticorum diu sint multumque versati. *Id nosmet crebro graviterque monuimus,* alias professi vobis, **tanto meliorem disciplinarum fore rationem quanto ad doctrinam Aquinatis propius accesserit**» *(Epistula* ad Card. Goossens de Instituto Superiori Philosophiae S. Thomae in Universitate Lovaniensi, data die 7 martii 1894, op. cit., 256).

Tandem in Allocutione ad moderatores et alumnos Seminariorum et Facultatum de Urbe, haec edixit: «maiorum rerum scientiam quod spectat utiliter videmur et convenienter temporibus fecisse, quod ad disciplinam Thomae Aquinatis studia clericorum revocavimus. Et hac de re quod per Litteras, nec semel, ante monuimus, idem hodie viva voce renovamus: **Angelicum Doctorem oportere ducem et magistrum sequi; in quo vos,** dilecti filii, **quanto plus operae studiique collocaveritis, tanto plus ad excellentiam doctrinae propius accessisse iudicatote**» *(Allocutio* habita die 18 ianuarii 1885, op. cit., 226).

Omnia haec ad unguem usque servare mandavit eius Successor B. Pius X: «*omnino oportere ducimus ut quae decessor illustris de cultu philosophiae doctrinaeque thomisticae constituisset,* **ea religiosissime servanda, atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus**» (Litterae Apostolicae de Romana a S. Thoma Aquinate Academia, datae die 23 ianuarii 1904. Acta Pii X, ed. Bonne Presse, I, 126). Et ideo «**omnes quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt..., curae habeant a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eamdemque quotidie studiosius insistant**» (ibid.).

Specialiter vero de hac obligatione monet instituta Catholica in Gallia erecta *(Littera Circularis* Sacrae Congregationis de Studiis ad Rectores Institutorum Catholicorum Andegavensis, Lugdunensis, Insularii, Parisiensis et Tolosani, data die 10 septembris 1906. *Acta,* ed. cit, II, 291-292), nominatim Institutum Parisiense: «*ac de philosophia petimus a vobis* **ne unquam patiamini in Seminariis vestris minus sancte observari quae providentissime Litteris Encycli-**

cis «Aeterni Patris» decessor noster praecepit. Permagni ad custodiam et tutelam fidei hoc interest». Non sufficit alumnos sacri ordinis ea imbui philosophia quae programmatibus officialibus Status respondet, sed eos oportet uberius et altius instrui, **«nempe secundum doctrinam Thomae Aquinatis,** *ut solidam deinceps possint sacrae theologiae reique biblicae scientiam percipere» (Epistula* ad Episcopos patronos Instituti Catholici Parisiensis, data die 6 maii 1907. Acta, III, 58, 60).

Idem solemnius inculcat in Litteris Encyclicis *Pascendi dominici gregis* contra modernistarum doctrinas, datis die 8 septembris 1907, praesertim quod ad rem metaphysicam spectat. «Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, *philosophiam scholasticam cum sequendam praescribimus,* **eam praecipue intelligimus quae a S. Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a decessore nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus.** *Episcoporum* erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ut eadem in posterum custodiantur *urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipimus.* **Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem desserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse»** *(Acta,* III, 160).

Eadem iterat in Motu proprio *Sacrorum Antistitum,* insistens tamen specialiter in fideli et stricta sequela Aquinatis in re metaphysica: «*Magistros autem*

monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem **vel parum** *desserere, praesertim iu re metaphysica, non sine magno detrimento esse. Parvus error in principio,* sic verbis ipsius Aquinatis licet uti *De ente et essentia,* prooem., *est magnus in fine»* (Datum die 1 septembris 1910. AAS. 2 [1910] 650-657).

Praesertim vero haec urget in Motu propio *Doctoris Angelici,* dato die 29 iunii 1914, ubi conqueritur de falsa intelligentia qua nonnulli praecedentia decreta interpretati sunt, ac si unicuique liceret quemlibet indistincte scholasticum doctorem sequi, quamvis a Thoma doctrina alienum, imo et ei adversantem. Hunc errorem dispellit, ac praecipit unum Aquinatem esse sequendum, maxime in re metaphysica, quae principia tradit et capita maiora totius christianae philosophiae. Huiusmodi principia revera continent medullam Sapientiae perennis, magno labore conquisitae a nobilissimis ingeniis totius humanitatis; quaeque ideo contemnere nefas, sed potius religiosissime servanda. Frusta praeterea, iis neglectis, alia sufficerentur ad fidem tutandam vel ad eius dogmata utcumque intelligenda.

Sed placet ipsa praeclara verba Pontificis audire. «Cum dictum a nobis esset *praecipue* Aquinatis sequendam philosophiam, *non unice, nonnulli sibi persuaserunt nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati,* **si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis, in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequenum. At eos multum animus fefellit.** *Planum est cum* **praecipuum** *nostris scho-*

lasticae philosophiae ducem daremus Thomam, **nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus tamquam fundamentis ipsa nititur.** Ut enim illa reiicienda est quorumdam veterum opinio, nihil interesse ad fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur. siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita **sancte inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae,** quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quae cum fide aptissime congruat, et omnes omnium aetatum errores refutantur, et certo dignosci licet quae Deo soli sunt neque ulli praeter ipsum attribuenda, et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera...

Ceterum, his Thomae principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo fine vitae assequendo. *Tam praeclaram autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam sua prope Angelica facultate ingenni perpolivit et auxit et ad Sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque adhibuit,* **nec sana ratio vult negligi, nec Religio patitur ulla ex parte miuui.**

Eo vel magis quod, si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cuius principia cum materialismi, monismi, pantheis-

mi, socialismi variisque modernismi erroribus aut communia sunt aut certe non repugnant. Nam *quae in philosophia S. Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit:* quibus submotis at quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur.

Itaque omnes qui philosophiae et sacrae theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, **si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore.**

Nunc vero hoc praeterea edicimus, non modo non sequi Thomam, **sed longissime a S. Doctore aberrare eos qui, quae in ipsius, philosophia principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnat.** *Quodsi alicuius auctoris vel Sancti doctrina a nobis nostrisve decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus, atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur* **eatenus comprobata qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret»** AAS. 6 [1914] 337 338).

Haec considerantes, nonnulli diversorum Institutorum sive Facultatum Magistri — quorum nullus ad Ordinem Praedicatorum pertinebat — theses viginti

quatuor Sacrae Studiorum Congregationi examinandas proposuerunt, quas ipsi tamquam ad praecipua Sancti Praeceptoris principia, in re praesertim metaphysica, exactas, tradere et proponere consueverunt (1).

Quibus rite examinatis et Summo Pontifici subiectis, «de eiusdem mandato praedicta Sacra Congregatio respondit *eas plane continere S. Doctoris principia et pronuntiata maiora*» (Die 27 iulii 1914. AAS. 6 [1914] 383-384). Statimque seriem earum subnectit, quarum septem pertinent ad Ontologiam, quinque ad Cosmologiam, novem ad Biologiam et Psychologiam, et tres ad Theodiceam. (Cf. infra, Appendix).

Interim Card. Merry del Val nomine Papae gratulabatur Moderatori Seminarii S. Thomae Aquinatis in Instituto Catholico Parisiensi, R. P. Peillaube, de eorum «culte de L' Ange de l' École, *dont le Souverain Pontife a de nouveau glorifié l' incomparable doctrine*» (*Epistula* data die 16 ivlii 1914. AAS. 6 [1914] 472).

Atque ad R. P. Humbertum Everest, sub cuius auspiciis vertebatur in linguam anglicam *Summa Theo-*

(1) Has viginti quatuor theses fuisse exaratas a R. P. G. Mat-
tiussi, S. J., cooperantibus Josepho Biagioli in Seminario Fesula-
no Theologicae Dogmatiae Professore aliisque viris in philosophia
thomistica doctissimis ac fidelissimis, comperta res est. Ipse Mat-
tiussi, mortuo interim Pio X, de mandato Benedicti XV commen-
tarium in omnes et singulas illas theses conscripsit ad edidit in
La Civiltà Cattolica, quod postmodum separatim fuit typis im-
pressum: *Le XXIV Tesi della filosofia di San Tommasso d' Aqui-
no approvate dalla S. Congregazione digli Studi*, Romae, 1917. Vi-
desis Tit. Sante Centi, O. P., apud *San Tommasso d' Aquino. La
Somma Teologica*, Introduzione generale, 268-272. Firenze, 1949.

logiae S. Thomae, scribebat: «vulgare immortalia Aquinatis volumina idem prorsus est ac *scripta* vulgare *humana divinaque scientia refertissima, atque omnibus sciendi cupidis optimam praebere philosophandi rationem cum ad sacra vera aperienda, tum ad profligandos errores maxime efficacem*» (*Epistula* data die 24 februarii 1912. AAS. 4 [1912] 164-165).

Iure igitur in Elogio B. Pii X, ad pedes sui cadaveris deposito, legitur: «disciplinam Thomae Aquinatis *impense promovit*» (AAS. 6 [1914] 430). Quibus Pius XII in *Decreto* beatificationis eius congruenter: «christianae philosophiae cultores *ad pugnandum pro veritate*, **Aquinate duce,** *excitavit*» (AAS. 43 [1951] 465).

Et in Allocutione habita die 3 iunii 1951 ad exsultantium christifidelium multitudinem, in foro S. Petri in Vaticano coadunatam, eius beatificationem devote celebrantium, eum apellat «*un incomporabile promotore delle scienze sacre*... E necessario forse di recordare il nuovo impulso dato agli studi biblici? *l'efficace incremento a quelli filosofici e teologici secondo il metodo, la dottrina e i principî dell' Angelico Dottore?*» (ibid., 473).

Nec solum in Supremo Pontificato «tutto supernamente diretto» (ibid., 476), sed inde a primordiis Episcopatus eius Mantuani ipse «introdusse nei corsi filosofici e teologici lo studio della dottrina dell' Aquinate, *in cui egli era peritissimo*» (G. Dal-Gal, O. M. C. *Beato Pio X, Papa*, p. 115, Padova, 1951).

Post obitum vero B. Pii X suscitata sunt dubia

circa illas viginti quatuor theses philosophicas, quae a Sacra Studiorum Congregatione declaratae erant continere germanam S. Thomae doctrinam, videlicet «utrum omnes viginti quatuor theses philosophicae, a S. Studiorum Congregatione probatae, germanam S. Thomae doctrinam revera contineant, et, in casu affirmativo, utrum imponi debeant Scholis Catholicis tenendae».

Quibus praedicta Sacra Congregatio hanc dedit responsionem: «**omnes illae viginti quatuor theses philosophicae germanam S. Thomae doctrinam exprimunt,** *eaeque proponantur veluti tutae normae directivae*» (Die 7 martii 1916. AA. 8 [1916] 157).

Aliis verbis: illae theses non debent scholis Catholicis imponi ut tenendae, *debent tamen proponi in eisdem Scholis veluti tutae normae directivae sequendae,* nempe «**comme la doctrine préferée par l'Eglise**», prout ipse Benedictus XV, qui respousionem illam ratam habuit, explicabat Rev. Patri Hugon, ut istemet refert in opere *Les Vingtquatre thèses thomistes,* p. VII (Paris, Téqui, 1922).

Ipse autem novus Pentifex firma voluit esse praescripta Leonis XIII et B. Pii X de fideliter inviolateque sectanda et tenenda philosophia S. Thomae, quae est philosophia secundum Christum. «Nos vero, cum aeque ac decessores nostri persuasissimum habeamus de illa tantum philosophia nobis esse laborandum quae est *secundum Christum* (Colos. II, 8), **ad propterea** *ipsius philosophiae studium* **ad principia et rationem Aquinatis omnino exigendam esse,** *ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, expli-*

catio invictaque defensio traditae divinitus veritatis, hanc S. Thomae Academiam, non minus quam illis, nobis esse curae volumus appareat» (Motu proprio *Non multo post,* edicto die 31 decembris 1914. AAS. 7 [1915] 6-7).

Atque in eius Statutis iussu Papae retractatis ex praedicto Motu propio, haec habentur: «Romana S. Thomae Aquinatis Academia eo spectat, ut Angelici Doctoris philosophiam illustret, defendat ac tueatur». Praeterea, «Magistri minimum semel in unaquaque anni academici hebdomade S. Thomae libros de rebus philosophiae praelegant, praesertim utrosque Commentarios in Aristotelem et in Boethium» (*Decretum* Sacrae Studiorum Congregationis, datum die 12 martii 1915. AAS. 7 [1915] 128, 129.

Inde leges, quibus regi debet, promulgatae sunt, Academiae «huic propositum est explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim philosophicam, Angelici Doctoris, omniaque accurate servare quae tradita sunt in Litteris Encyclicis quarum initium: *Aeterni Patris.* Officia Academiae praecipua haec erunt: studia viresque conferre cum aliis academiis eiusdem Instituti *ad philosophiam christianam secundum principia Aquinatis* **ubique instaurandam**» (*Decretum* eiusdem Sacrae Congregationis approbatum a Benedicto XV die 11 februarii 1916. AAS. 8 [1916] 364).

Accedit Epistula Cardinalis Bisleti, Praefecti huiusce Congregationis, ad R. P. A. Baudrillart, Rectorem Instituti Catholici Parisiensis, de doctrina S. Thomae impensius excolenda, in qua recoluntur et urgentur praescripta Leonis XIII, B. Pii X et Benedicti XV de sequenda Aquinatis doctrina philosophica et

theologica (Die 30 septembris 1916. AAS. 8 [1916] 412-414).

Omnemque arripiebat occasionem extollendi et urgendi huiusmodi philosophiam, ut videre est in Epistulis ad Ed. Hugon (AAS. 8 [1916 174), ad Jac. Sinibaldi (AAS. 9 [1917] 107), ad L. Theissling (AAS. 10 [1918] 480). Et in Encyclicis Litteris *In praeclara*, datis die 30 aprilis 1921, exaltat Dantem Alighieri qui «in magna varietate disciplinarum secutus est maxime Thomam Aquinatem, Scholae principem; eoque magistro, cuius angelica mentis indoles nobilitata est, fere didicit quidquid philosophando ac de divinis rebus disputando didicit» (AAS. 13 [1921] 210).

Praesertim vero ei «dandum est laudi — ut ait Pius XI — quod Juris canonici Codicem promulgavit, **ubi Angelici Doctoris ratio, doctrina et principia plane consecrantur**» (Encyclica *Studiorum Ducem*, data die 29 iunii 1923. AAS. 15 [1923] 314). Revera in hoc Codice, promulgato die sacro Pentecostes 1917, can. 1366, § 2, talis habetur lex: «*philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem* **professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant**».

Quod quidem praeceptum recolit ipsemet Pontifex in Epistula ad Card. Schulte de catholico philosophiae Instituto Coloniae Agrippinae condendo, data die 29 iunii 1921, ubi haec habet: «profecto nihil esse potest salubrius aut opportunius quam ut Instituta verae scientiae, id est philosophiae, condantur, ubi non modo *solida atque tuta* tradatur doctrina, sed etiam

ea omnia dilucide explicentur quae pertinent ad supremas veri et boni rationes, ut quaestiones variae aeque solvantur quae sint perpetua vice exoriturae. Iam vero philosophia, quae merito principem locum apud catholicos obtinet, illa est quam scholasticam vocant; quaeque a sanctis Doctoribus exculta, *ad eum perfectionis apicem Aquinatis ingenio evecta est ut fere nequeat sublimius assurgere. Quam quidem ad rem exploratae plane sunt praescriptiones Romanorum Pontificum,* **quae dudum ratas habuit Codex iuris canonici**» (AAS. 13 [1921] 423).

Eamdem prorsus viam secutus est Pius XI, ad praedecessores suos expresse provocans, quorum praecepta sancte inviolateque servare iubet. «*Omnino quae hac de re sunt in iure canonico providentissime statuta, ea sancte inviolateque observari debent*... Confecto igitur litterarum curriculo, nostri alumni, ut Sacrae Theologiae aptam praeparationem adhibeant, minimum biennio diligentissime in Philosophiae studio versentur. Scholasticam intelligimus Philosophiam, a sanctis Patribus Scholaeque Doctoribus quadam laborum continuatione naviter expolitam, ac denique opera et ingenio Thomae Aquinatis ad summum perfectionis gradum adductam, quam quidem decessor noster illustris Leo XIII fidei propugnaculum ac veluti firmum Religionis munimentum appellare non dubitavit (Litt. Encycl. *Aeterni Patris). Profecto ipsius Leonis magna laus est Philosophiam Christianam, excitato Doctoris Angelici amore cultuque, instaurasse: atque etiam sic iudicamus, omnium rerum quas in

diuturno Pontificatu pro Ecclesia et pro Societate civili utilissime gesserit, hoc adeo fuisse caput ut, si cetera non adessent, haec una satis esset ad tanti Pontificis nomen immortalitati commendandum.

Itaque *in primis sibi curae habeant magistri Philosophiae in hac disciplina clericis tradenda non solum rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia sequi S. Thomae:* idque eo faciant vel studiosius, quod sciant *nullum Ecclesiae Doctorem modernistis ceterisque fidei catholicae hostibus ita esse terrori ac formidini ut Aquinatem*» (Epistula Apostolica *Officiorum Omnium* de Seminariis et de Studiis clericorum, data die 1 augusti 1922. AAS. 14 [1922] 454-445).

Ad summos autem Moderatores Ordinum regularium aliarumque sodalitatum religiosorum virorum similiter scribit: «id sanctum vobis inviolatumque esto quod in Epistula Apostolica de Seminariis et de Studiis clericorum iuri canonico congruenter ediximus, scilicet, ut in tradendis philosophiae et theologiae praeceptis *magistri fideliter scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas, sequantur*». Suaque facit, in eorum memoriam revocans, praeclara illa verba Leonis XIII, Epistula *Nostra erga*, data die 25 novembris 1898: «**qui vere philosophari volunt — velle autem potissimum debent religiosi viri — primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant**» (Epistula Apostolica *Unigenitus Dei Filius*, data die 19 martii 1924. AAS. 16 [1924] 144).

Equidem nemo unquam «philosophiae naturam rationemque, partes earumque vim melius explicavit». Eas omnes diligenter Thomas pertractavit «propria singularum via, ita quidem ut ab iis profectus quae maxime humanae rationi coniuncta sunt, gradatim ad remotiora adscendens, in supremo rerum omnium Vertice constiterit». Quae de nativa vi humanae mentis ad ipsam rerum veritatem cognoscendam tradit, errores agnosticismi radicitus evertunt: quae de Dei exsistentia e creaturis demonstranda tamquam Causa per effectus edocet, ea sunt quae hodie quoque, sicut in aevo medio, omnium firmissima validaque consistunt (Encyclica *Studiorum Ducem,* data die 29 iunii 1923. AAS. 15 [1923] 316, 317).

Quibus in Litteris, ut ipsemet recolit in *Allocutione* ad Romanae Ecclesiae Cardinales, habita die 20 decembris 1923, omnes utriusque cleri viros cohortatus est «ut in studiis optimis hunc praecipue ducem sequerentur» (AAS. ibid., 607).

Adest enim in philosophia S. Thomae, «per così dire, un certo Vangelo naturale, un fondamento incomparabilmente solido per tutte le construzioni scientifiche, poichè *la caratteristica del tomismo è quella di essere anzitutto oggettivo:* le sue non sono costruzioni o elevazioni dello spirito semplicemente astratte, ma *sono le costruzioni dello spirito che seguono l' invito reale delle cose*... **Non verrá mai meno il valore della dottrina tomistica, perché bisognerebbe che venisse meno il valore delle cose**» *(Allocutio* ad studentes universitarios, habita mense februario 1927, apud Cordovani, *San Tommaso nella parola di Pio XI,* «Angelicum» 6 [1929] 10).

Uno verbo: Aquinatis philosophia est philosophia ipsius Ecclesiae Christi, idest «una filosofia cristiana, cattolica, romana» *(Allocutio* ad oratores ceterosque viros Romam convenientes occasione Hebdomadae Thomisticae, diebus 19-25 novembris 1924 celebratae. *Acta Hebd. Thom.*, 294. Romae, 1924); siquidem, «ut quamplurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, *suam Ecclesia fecit*» (Encycl. *Studiorum Ducem*, AAS. 15 [1923] 314).

Et ideo Card. D. Mercier vehementer collaudat de eius scriptis philosophicis doctrina S. Thomae refertis, «nominatim Ontologiam», quandoquidem — addit Pontifex — «*ea ibi metaphysicae S. Thomae principia illustrando tueris*, **a quibus recedere, etiam in re minima, non sine magno detrimento esse, opportune monuit decessor noster fel. rec. Pius X**» *(Epistula* data die 26 martii 1924. AAS. 16 [1924] 225).

Nec tantum sequendam praecipit Aquinatis philosophiam veluti normam investigandi docendique veritatem, sed etiam iudicandi et ad crisim revocandi alia systemata philosophica a vero deviantia. Hanc enim legem statuit in sua Constitutione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus* de Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum: «in Facultate Philosophica philosophia scholastica tradatur, eaque ita ut auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia Aquinatis instituantur. *Ex hac autem doctrina diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur*» (Die 24 maii 1931. AAD. 23 [1931] 253).

Denique Pius XII haec omnia decessorum suorum praecepta in memoriam revocat, et «si alicubi desiderentur, ex integro instaurat» *(Sermo* ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in Urbe ad Sacerdotium efformantur, habitus die 24 iunii 1939. AAS. 31 [1939] 246; *Allocutio* ad Patres Ord. Praed. adunatos in Capitulo Generali, habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387-388).

Philosophia perennis sive philosophia christiana, quam S. Thomas ad perfectum adduxit eamque in summam redegit atque miro ordine composuit et coagmentavit *(Epistula* ad R. P. Gillet, data die 7 martii 1942. AAS. 34 [1942] 97), solida rupe innititur, ac perpetuo valet et viget, emolumento perenniter mansuro: ea enim praelucente, ad veritatem cognoscendam et solidandam tuto proceditur *(Allocutio* citada ad Patres Ord. Praed. AAS. 38 [1946] 387-388).

«Profecto philosophia perennis immensae molis opus est, ad quod exstruendum a providentissimo Dei numine excitata, per saeculorum decursum lectissima ingenia, flos sapientiae elaborarunt; eademque perpetua pollens iuventa, nunc quoque robusta virescit et variarum disciplinarum incrementis semper patet et prodest, sive cum res physicae altius sunt indagandae, sive cum rerum gestarum memoria consideratius est tradenda, sive cum critica methodus accuratius instruenda est.

At vero **inter omnes scholasticae philosophiae cultores Sancto Thomae incomparabilis palma reservatur: ipseque principem occupat locum.** Veritatis unice amator, is quanta reverentia, quam qui-

dem veritas poscit, res penitus intelligendas considerat, facta rimatur, litteras et documenta, e quibus acta dictaque explorantur, investigat! Quam apta est ipsi in disquisitionibus partium dispositio, quam firmum argumentorum robur et lucida dicendi proprietas! Victrici fortitudine, quam mentis celsitas parit, ad conclusiones progreditur; metaphysica principia, quae sunt omnibus aetatibus commune christianae sapientiae patrimonium, usque ad extrema consectaria placide et tuto enucleando deducit» (*Allocutio* ad eos qui interfuerunt tertio thomistico internationali Conventui, Romae habito, habita die 17 septembris 1950. AA. 42 [1950] 374-375).

Remque magis premens, addit in Encyclica *Humani generis*, data die 12 augusti 1950: haec est« sana illa philosophia, quae velut patrimonium iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum, **atque ideo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiae eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinae revelationis trutinam vocavit.** Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem.

In hac philosophia plura sane exponuntur quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia **liberae** *peritorum* **disceptationi** *permittit*; **at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua quae supra memoravimus, eadem libertas non viget.** Etiam in huismodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus distinctionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare; *nunquam tamen eam subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem sed obsoletum existimare monumentum.*

Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae mentis per se notis, vel de sententiis illis quae tum saeculorum sapientia tum etiam divinae revelationis consensu ac fulcimine innituntur. Quidquid veri mens humana sincere quaerens invenire poterit, iam acquisitatae veritati profecto adversari nequit; siquidem Deus, Summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur. Quopropter *christianus, sive philosophus, sive theologus, non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac iusta in trutina ponat, ne adeptam veritatem amittat vel corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento.*

Quae si bene perspecta fuerint, facile patebit cur Ecclesia exigat ut futuri sacerdotes philosophicis dis-

ciplinis instruantur ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia (CJC., can. 1366, § 2), **quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis sive in absconditis veritatibus pervestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina revelatione quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda officacissimam esse, necnon ad sanae progressionis fructus utiliter et secure colligendos**» (AAS. 42 [1950] 571-573).

Huiusmodi sunt «quae natura sua cum fidei doctrina arcte connectuntur» quaeque ad duas philosophicas disciplinas maxime spectant, «theodiceam nempe et ethicam» (ibid 574-575). Ea autem suffici nequent placitis immanentismi, idealismi, materialismi historici vel dialectici, neque existentialismi, quae cum dogmate catholico componi non possunt (ibid. 574; *Allocutio* ad docentes et alumnos Universitatum et Scholarum e Gallia Romam peregrinantes habita die 20 septembris 1950, AAS. 42 [1950] 737; *Allocutio* ad delegatos Conventui Generali Romae habito ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque saecularibus, habita die 8 decembris 1950, AAS. 43 [1951] 32, 34).

Equidem sacrorum alumni multiplici disciplinarum genere instructi esse debent, quas inter «rerum socialium investigatio magni quidem est momenti; maxima tamen vis doctrinis philosophicis ac theologicis «ad Angelici Doctoris rationem» (CJC. can. 1366, 2) tribuenda est, simulque cum his necessitatum atque errorum, quae nostra invexerit aetas, notitia coniuncta»

(*Adhortatio* Apostolica ad Clerum universum data die 23 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 687-688). Neque his erroribus valenter refragare poterunt nisi firmissima philosophiae ac theologiae elementa penitus didicerint.

«Quare ne sacrorum administrorum studia fluctuationibus vel dubitationibus miserum in modum haereant, maximopere vos, Venerabiles Fratres, hortamur omnes sedulo evigiletis ut quas Apostolica haec Sedes de huismodi studiis colendis certas constituit normas, eae integra fide accipiantur atque serventur» (ibid. 688; *Oratio* ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos ceterosque locorum Ordinarios... Romae coadunatus, habita die 2 novembris 1950, AAS. 42 [1950] 791).

Sic enim et non aliter catholicae fidei depositum integrum, illaesum et indemne servabitur, nihil detrimenti patiens ex placitis philosophorum non rectis (Encycl. *Humani generis*, loc. cit. 575; Allocutio ad eos qui interfuerunt tertio thomistico conventui, loc. cit. 735).

Haec longa documentorum series abunde satis ostendit *auctoritatem canonicam doctrinalem Aquinatis in re philosophica esse quoque maximam et singularem:* **nulli enim unquam scriptorum ecclesiasticorum res philosophicas pertractantium talem ac tantam Ecclesia tribuit approbationem atque commendationem.**

CAPUT. III

De auctoritate integrali totius corporis doctrinalis S. Thomae

At vero huiusmodi auctoritates doctrinales Aquinatis, scientifica nempe et canonica, itemque philosophica et theologica, maximae quidem ac prorsus singulares in suo quoquo genere, licet inter se distinctae, nullo tamen modo separatae nec separandae sunt, sed potius intime unitae et perfecte cohaerentes, ita sane ut omnes simul sumptae sint veluti partes integrantes unius eiusdemque auctoritatis doctrinalis completae atque totalis ipsius. Omnes enim se mutuo iuvant et complent, atque ex hac veluti connaturali consonantia inter auctoritatem philosophicam et theologicam, ac inter auctoritatem scientificam et canonicam utriusque, potissime resultat summa auctoritas integralis totius corporis doctrinalis S. Thomae.

Haec intima cohaerentia rationis et fidei, ac proin doctrinae philosophicae et theologicae, perspicua est apud S. Doctorem maximeque ab eo intenta. «Haec scientia — inquit de Theologia — accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum quae in hae scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationum. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tam-

quam inferioribus et ancillis, sicut architectonicae utuntur subministrantitibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis non est propter defectum vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quae per naturalem rationem ex qua procedunt aliae scientiae, cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quae sunt supra rationem quae in hac scientia traduntur» (*Summa theol.* I. P. q. 1, a. 5 ad 2).

Neque ad Theologiam pertinet demonstrare principia Philosophiae, sed solum iudicare de eis habito respectu ad propria. «Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati huius Doctrinae repugnans, totum condemnatur ut falsum» (ibid., a. 6 ad 3). Quae igitur non cohaerent veritatibus a Deo revelatis, qui nec falli nec fallere potest, sed eis potius repugnant, vera esse non possunt, sed falsa et respuenda, atque ideo inepta sunt ut assumantur a Theologia ad illas veritates illustrandas vel explicandas. Quam ob rem S. Doctor subiungit: «in quantum Sacra Doctrina utitur philosophicis documentis propter se, non recipit ea propter auctoritatem dicentium, sed propter rationem dictorum; unde *bene dicta recipit, et alia respuit*» (Comment. *iu librum Boethii De Trinitate,* q. 2, a. 3 ad 8).

Eademque consonantia praesefertur ac viget in approbationibus et commendationibus Ecclesiae, quae simul utramque suam propriam edixit esse atque sectandam praecepit. Documenta hucusque in medium adducta, hoc invicte demonstrant. Recolatur vel una lex Codicis Juris Canonici: «*Philosophiae rationalis ac Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis*

institutionem **professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant». (Can. 1366, 2). Ambae simul, philosophia et theologia S. Thomae, sancte tenendae sunt et exponendae in Scholis catholicis, non solum quoad rationem seu methodum, neque tantum quoad principia vel pronuntiata maiora, verum etiam quoad doctrinam, idest quoad corpus vel systema doctrinale ex illis principiis et secundum illam methodum exstructum, ita quidem ut auditores «plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur» (Constitutio Apostolica *Deus scientiarum Dominus*, art. 29 c. AAS. 23 [1931] 253).

Sed placet in re tanti momenti nonnulla adhuc testimonia subiungere Summorum Pontificum. «Exemplar proponimus — ait Leo XIII — in quo quid virtus, quid sapientia possit splendidissime elucet, *virum nempe humanis divinisque disciplinis ad plenum imbutum* tot saeculis insigni memoria cultum, Ecclesiae praeconiis Romanorumque Pontificum celebratum oraculis, angelicis ipsis mentibus exaequatum» *(Allocutio* ad ingentem cultorum hominum multitudinem ex omnibus christiani orbis regionibus Romam convenientium, habita die 7 martii 1880, apud Berthier, op. cit., 205): hac moti consideratione, «futurum ut patrocinium hominis maximi et sanctissimi multum valeat *ad philosophicas theologicasque disciplinas summa cum utilitate reipublicae instaurandas*» (Breve *Cum hoc sit*, datum die 4 augusti 1880, Acta ed. cit., I, 114).

Ad quae alludens, dixit post aliquod annos: «*Philosophiae Theologiaeque studia ad veterum rationem, auctore Thoma Aquinate, revocanda curavimus*» *(Epistula* ad Card. Parocchi, data die 20 maii 1885, apud Berthier, op. 226). «Eius igitur in schola adolescat et exerceatur clerus *ad Philosophiam, ad Theologiam:* exsistat enimvero doctus et ad sacra praelia valens quam maxime» (Encyclica *Officio Santissimo* ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae, data die 22 decembris 1887. *Acta*, II, 128), «hac sibi velut lege imposita, *ut Thomam Aquinatem sequantur in utraque Facultate ducem*, eiusque doctrinam praecipuo quodam studio colant, tueantur» *(Epistula* ad Scriptores Commentarii «La Civiltà Cattolica», data die 8 iulii 1890, apud Bertier. op. cit. 238). «Erunt autem optime comparati si, qua nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, *Philosophiae et Theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint*» (Encyclica *Providentissimus Deus*, data die 18 novembris 1893. Acta, ed. cit IV, 28).

Ideo pleno iure scribere potuit die 9 maii in Litteris Apostolicis quibus Constitutiones Academiae Romanae S. Tomae confirmabat: «quod iam inde ab initio nostri pontificatus nos a scientia rerum graviorum exorsi, multis quidem modis neque semel significavimus, *summa esse contentione enitendum ut Philosophiae et Theologiae studia ad pristinam S. Thomae rationem, quae scholastica dicitur, revocarentur, illiusque disciplina fidei veritati administra et comes instauraretur*, id numere concessuque Dei in omnibus fere catholicis Athenaeis constitutum esse merito laetamur» (apud Bertier, op. cit. 259. Cf. etiam *Epistu-*

Iam ad Moderatorum Commentarii *Divus Thomas*, data die 7 februarii 1893, ibid. 253).

Quod quidem, post editas Encyclicas Litteras *Aeterni Patris*, arte expressum est numismate excusso, una ex parte referente effigiem Pontificis, et ex alia Thomam stantem infulaque doctorali decoratum, qui dexteram manum suam Theologiae, sinistram vero Philosophiae porrigit: circum autem in extremo superiori haec inscriptio, *Thomae Aquinatis doctrina in pristinum decus restituta;* et in inferiori haec alia, *Renovatum divinae humanaeque scientiae foedus.*

B. Pii X autem satis sit referre, inter plura alia, hoc unum verbum: «*gli studi di Filosofia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano tenendosi alle pontificie prescrizioni e allo studio di San Tommaso,* **tante volte raccomandato dal venerato nostro predecessore e da noi».** (Encyclica *Pieni l'animo*, data die 28 iulio 1906. ASS. 39, 324): ««**Aquinatem enim desserere, in re philosophica praesertim et theologica,** *uti iam diximus,* **non sine magno detrimento esse potest, ipsum sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem»** (Motu proprio *Praeclara*, edito die 24 iunii 1914, AAS. 6 [1914] 335).

Benedicti etiam XV, qui et legem promulgavit in Codice Iuris Canonici insertam, sufficiat recolere illud praeclare dictum: «**sanctum et salutare est ac paene necessarium in scholis ubi ad philosophiae**

ac theologiae scientiam instituitur sacra iuventus, summum haberi magistrum Thomam Aquinatem» *(Epistula* ad R. P. Ed. Hugon, data die 4 maii 1916. AAS. 8 [1916] 174). Eius namque philosophia, cum vere sit *secundum Christum,* tuto et absque ullo errandi periculo assumi potest et adhiberi a Sacra Theologia, «ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis» (Motu proprio *Non multo post*, die 31 decembris 1914. AAS. 7 [1915] 6).

Quibus Pius XI congruenter edixit: «itaque *in primis sibi curae habeant magistri Philosophiae in hac disciplina clericis tradenda non solum rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia sequi S. Thomae;* idque eo facient vel studiosius quod sciunt nullum Ecclesiae Doctorem modernistis ceterisque fidei catholicae hostibus ita esse terrori ac formidini ut Aquinatem.

Qod autem de Philosophia dicimus, idem est de Sacrae Theologiae disciplina intelligendum... Etenim id quod efficit ut hoc disciplinae genus vim scientiae veri nominis habeat, in eoque — ut desideratissimus decessor noster praeclare ait — «plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis», nihil est aliud nisi *philosophia scholastica duce et magistro Aquinate in usum ipsius sacrae disciplinae conversa»* (Epistula Apostolica *Officiorum omnium*, data die 1 augusti 1922. ASS. 14 [1922] 454-445).

Quae rursus mandata ad religiosos viros, qui sa-

cerdotio initiari contendunt, integra extendit «scilicet ut *in tradendis Philosophiae praeceptis magistri fideliter scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas, sequantur*...

Quantopere autem intersit alumnos vestros ab scholastica ratione nullo pacto abscedere, vel ex eo apparet quod, cum philosophiam inter et revelationem arctissima cognatio intercedat, utrasque scholastici ipsi tam mira concordia composuerunt et coagmentarunt ut altera alteri lucem afferret maximumque adiumentum. Neque enim, cum ambae a Deo, summa aeternaque veritate, proficiscantur, et rationis illa, haec fidei documenta reddat exhibeatque, inter se pugnare queunt, ut nonnulli delirando contendunt; immo etiam tam amice conspirant, ut altera alteram compleat. *Unde sequitur, ex inscio imperitoque philosopho fieri numquam doctum theologum posse; et qui divinarum rerum sit prosus ieiunus, perfecte philosophari nullo pacto licere.*

In quo recte S. Thomas: «ex principiis fidei ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes: unde etiam theologia scientia est» (Summa theol., II-II, q. 1, a. 5 ad 3). Ut aliis verbis dicamus, quemadmodum e ratione, quae est divini participatio luminis, philosophia prima naturalis cognitionis principia ducit, eademque enuntiat atque explicat, ita theologia e supernaturalis luce revelationis, quae intellectum splendore suo illuminat et complet, fidei notiones mutuatur, evolvit, explanat, *ut sint ambae duo ex uno sole radii, duo ex uno fonte rivuli, bina in fundamento uno aedificia.*

Magnum quiddam profecto humana scientia est,

modo fidei rationibus obsequenter inhaereat; quibus posthabitis, iam in multos eam ipsam errores incidere dementiasque necesse omnino est.

Quodsi, dilecti filii, alumni vestri, quam *humanarum* cognitionum in se summam congesserint, eam doctrinae *sacrae* famulari ac servire iubeant; si praeterea veritatis revelatae amore et cupiditate acriter ardeant, erunt atque habebuntur homines Dei, et verbo exemploque plurimum christiano populo proderunt» (Littera Apostolica *Unigenitus Dei Filius* ad Summos Moderatores Ordinum et Congregationum religiosarum, data die 19 martii 1924, AAS. 16 [1924] 144-145).

Postremo Pius XII laudat ex animo Ordinem Praedicatorum pro meritis eius eximiis in re philosophica et theologica, statimque subiungit: «*S. Thomam Aquinatem, harum disciplinarum Communem Magistrum Ecclesiae dedistis, cuius sive in tironibus erudiendis, sive in absconditorum verorum investigatoribus porro ducendis singularis est auctoritas, ipso in Codice Iuris Canonici decretorio modo asserta*». Harum disciplinarum «Doctor Angelicus dux semper peritissimus et inoccidua lux est emolumento perenniter mansuro» (*Allocutio* ad Patres Ord. Praed. in Capítulo Generali adunatos, habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387, 388).

Et in Encyclica *Humani generis*, data die 12 augusti 1950, gravissime monet non quamlibet philosophiam assumi a theologo posse veluti instrumento apto ad veritates fidei explicandas ac defendendas, sed illam tantum quae saeculari usu Ecclesia veram sa-

namque iudicavit, nempe philosophiam christianam duce et magistro Aquinate. «Liquet etiam, ait, Ecclesiam non cuilibet systemati philosophico, brevi temporis spatio vigenti, devinciri posse: sed ea quae communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura saecula fuere ad aliquam dogmatis intelligentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur. Nituntur enim principiis ac notionibus ex vera rerum creatarum cognitione deductis; in quibus quidem deducendis cognitionibus humanae menti veritas divinitus revelata, quasi stella, per Ecclesiam illuxit. *Quare mirum non est aliquas huius modi notiones a Conciliis Oecumenicis non solum adhibitas, sed etiam sancitas esse,* **ita ut ab eis discedere nefas sit.**

Quapropter negligere vel reiicere vel suo valore privare tot ac tanta quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti Spiritus lumine et ductu, ad accuratius in dies veritates exprimendas mente concepta, expressa et perpolita sunt, ut eorumdem in locum coniecturales notiones sufficiantur ac quaedam fluxae ac vagae novae philosophiae dictiones, quae ut flos agri hodie sunt et cras decident, *non modo summa est imprudentia,* **verum etiam ipsum dogma facit quasi arundinem vento agitatam»** (AAS. 42 [1950] 566-567 Cf. ibid. 571-574).

«S. Thomas autem mira quadam alacritate hominis intelligentiam, nimio illo fulgore [divinae revelationis] quasi haesitantem et suspensam, in templum mysteriorum Dei introducit, et argumentationis arte quaestiones exsolvens, efficit ut inter se divinarum et huma-

narum rerum convenientia resplendeat et appareat» (*Allocutio* ad eos qui tertio thomistico internationali Conventui interfuerunt, habita die 17 septembris 1950, ibid. 735). Ideo «**maxima vis doctrinis philosophicis ac theologicis ad Angelici Doctoris rationem tribuenda est in sacrorum institutione alumnorum»** (*Adhortatio* Apostolica ad Clerum universum, data die 23 septembris 1950, ibid. 687-688).

Nulli ergo dubium esse potest auctoritatem dotrinalem integram S. Thomae, intrinsecam scilicet et extrinsecam ex approbatione et commendatione Ecclesiae, esse revera omnium scriptorum ecclesiasticorum maximam in re philosophica simul et theologica. Haec enim «perpetua, continuata, repetita de aevo in aevum ad hanc usque diem, singulari prorsus instantia eximioque studio, Sedis Apostolicae commendatio, doctrinae philosophicae ac theologicae Aquinatis prae omnibus aliis, est ei omnino singularis nec ulli alteri communicata» (Card. L. Billot S. J., *Oratio* habita die 11 martii 1915 in aula maxima Concellariae Apostolicae pro instauratione Academiae S. Thomae, edita in «Xenia thomistica», I, 19. Romae, 1925).

CAPUT. IV

De valore auctoritatis integralis totius corporis doctrinalis S. Thomae deque obligationem eam suscipiendi

In aestimanda tamen hac singularíssima auctoritate necesse est extrema vitare sive ex excessu sive ex defectu provenientia, et iustam mediamque viam tenere cum ipsa Ecclesia.

Art. 1. **Vitandi errores per defectum.**

Errant quidem per defectum et mandata Ecclesiae non servant:

Primo, qui Thomae doctrinam philosophicam vel theologicam aperte contemnunt aut parvipendunt, eamque data opera impugnant vel derident. Ut enim docet Pius XII, «hac de causa *quam maxime deplorandum est* philosophiam in Ecclesia receptam et agnitam hodie a nonnullis *despectui* habere, ita ut *antiquata* quoad formam, *rationalistica*, ut aiunt, quoad cogitandi progressum, *impudenter* renuntietur.

«Dictitant enim hanc nostram philosophiam *perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse;* dum contra *asseverant res praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse quam*

disparatis doctrinis quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam, *non tamem praebere philosophandi rationem quae hodiernae nostrae culturae ac necesitatibus respondeat.*

«*Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam immutabilium essentiarum esse.* dum hodierna mens ad «exsistentiam» singulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem. Dum vero hanc philosophiam *despiciunt*, alias extollunt sive antiquas sive recentes, sive orientis sive occidentis populorum, *ita ut in animos insinuare videantar quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis, cum dogmate catolico componi posse.* **Quod quidem falsum omnino esse,** *cum praesertim de commentis illis agatur quae* **vel immanentismum vocant, vel idealismum, vel materialismum sive historicum sive dialecticum, ac vel etiam existentialismum sive atheismum profitentem sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest.**

«Ac denique *philosophiae nostris traditae scholis hoc vitio vertunt, eam nempe in cognitionis processu ad intellectum unice respicere, neglecto munere voluntatis et affectuum animi,*

«**Quod quidem verum non est.** Numquam enim christiana philosophia utilitatem negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas, immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat. Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supernaturalem pertinentia, aliquo modo percipere posse quatenus experiatur in animo affectivam quamdam »connaturalitatem» cum eisdem bonis sive naturalem sive bono gratiae additam (Summa theol. I. P. q. 1, a. 4 ad 3; II-II, q. 45, a. 2c.); ac liquet quantopere vel subobscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat.

«Attamen *aliud* est voluntatis affectuum dispositioni vim agnoscere adiuvandi rationem ad certiorem ad firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam, *aliud* vero est quod ipsi novatores contendunt, facultatibus nempe appetendi et affectendi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem, cum non possit rationis discursu cum certitudine discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, *cognitione et voluntatis actu incompte permixtis.*

«Nec mirum est novis hisce placitis in discrimen adduci duas philosophicas disciplinas *quae natura sua cum fidei doctrina arcte connectuntur*, *theodiceam nempe et ethicam;* quarum quidem munus esse cen-

sent *non aliquid certi de Deo aliove ente transcendenti demonstrare, sed ostendere potius ea quae fides doceat de Deo personali ac de eius praeceptis* **cum vitae necessitatibus perfecte cohaerere,** *ideoque omnibus amplectenda esse ut desperatio arceatur atque aeterna attingatur salus*. Quae omnia ut decessorum nostrorum Leonis XIII et Pii X documentis *aperte adversantur*, ita cum Concilii Vaticani decretis *componi nequeunt*.

«Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam in rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae aninum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata» (Encyclica *Humani Generis*, AAS. 42 [1950] 573-575).

Secundo, errant per defectum et praeceptis Ecclesiae non obediunt, qui quavis, quantumvis futili praetextu, a Thomae doctrina recedunt: vel qui ei non student qua par est sinceritate, quin potius oculos suos intendunt ad defectus eius, si qui sint, aucupandos, et non ad germanam eius mentem detegendam saneque explicandam: aut etiam qui una ex parte doctrinas ex Thoma diffluentes in alios Doctores, ab eisque ut commune patrimonium susceptas, extollunt veluti horum proprias et ab eisdem adinventas, reticito plerumque Aquinatis nomine; ex alia vero sem-

per eum proprio appellant nomine quando paucissimas illas referunt opiniones eius a posterioribus minus probatas, ac si Thomas has unas tantummodo tradiderit: quo fit ut ab eiusdem amore et reverentia ac operum studio animos discipulorum omnino retrahant, contra Romanorum Pontificum monita.

Ut enim ait Leo XIII, «**discedere inconsulto ac temere a sapientia Doctoris Angelici res aliena est a voluntate nostra, eademque plena periculis**» *(Epistula* ad Ministrum Generalem Ord. Fratrum Minorum, data die 25 novembris 1898. Acta Leonis XIII, ed. cit., t. V, p. 284): «*hodie presertim* — addit B. Pius X — **quando qui a Thoma discedunt, iidem videntur eo ad ultimum agi, ut ab Ecclesia desciscant**» *(Epistula* ad R. P. Th. Pègues, apud Berthier, op. cit., 276).

Et Pius XI monet Professores ut «sibi persuadeant tum se suo officio satisfacturos itemque exspectationem nostram expleturos esse, si *cum Doctorem Aquinatem, scripta eius diu multumque voluntando, adamare coeperint, amoris huius flagrantiam cum alumnis disciplinae suae, ipsum Doctorem interpretando, communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum*» (Encyclica *Studiorum Ducem,* data die 29 iuuii 1923. AAS. 15 [1923] 323).

«Quapropter — concludit Pius XII —, dilectissimi filii, *animum afferte plenum amoris et studii erga S. Thomam: totis veribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis;* **quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipium in ea habetur, libenter amplectimini**»

(Sermo habitus die 22 maii 1939 ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutiorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in alma Urbe ad Sacerdotium initiantur. AAS. 31 [1939] 246).

Hanc enim legem sapienter statuit S. Agustinus ad libros alicuius auctoris intelligendos et interpretandos, scilicet ut prius auctores ipsi odio non habeantur, deinde ut amentur. «Quis enim sibi unquam libros Aristotelis reconditos et obscuros ab eius inimico exponendos putavit?» *(De utilitate credendi,* cap, 6, n.° 18. ML. 42, 74). Qui tanto labore tantaque diligentia libros suos conscripsit sicut S. Tomas, condignam profecto diligentiam postulant in legente et exponente. Secus, illi apposite applicari posset illud S. Agustini: «qui errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quae sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent» *(De dono perseverantiae,* cap. 24, n.° 68, ML. 45, 1034).

Tertio, per defectum pariter errant qui auctoritatem Aquinatis maximam validamque agnoscunt, non tamen pro nostris temporibus quae alia praeseferunt problemata, sed pro temporibus anteactis: ita quidem ut historicus philosophiae ac theologiae maximas partes ei tribuat in enarrandis doctrinis medii aevi, philosophus vero ipse ac theologus hodiernus nonnisi valorem archaeologicum eius admittere debeat.

Ex adverso, Leo XIII asserit: «atque *illud est permagnum, quod eius doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus,* **non ad**

unius dumtaxat sed ad omnium temporum necessitates est apta, *et ad pervicendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata»* (Breve *Cum hoc sit,* die 4 Augusti 1880. *Acta*, ed. cit. I, 112).

Et Benedictus XV: «praeclara de Thoma Aquinate praeconia Apostolicae Sedis iam *neminem catholicum dubitare sinunt quin ideo ille sit excitatus divinitus ut haberet Ecclesia quem doctrinae Magistrum maxime* **in omne tempus sequeretur»** *(Epistula* ad R. P. Pègues, data die 5 februarii 1919. AAS. 11 [1919] 71); Magistrum nempe et «Doctorem *nunquam senescentem»* (B. Pius X, *Epistula* ad R. P. Hugon, data die 16 iulii 1913. AAS. 5 [1913] 487).

S. Thomas enim, texte Pio XII, «dux semper peritissimus et *inoccidua lux est»*: quod ipse aedificavit, **«ultra et supra quodlibet tempus perpetuo viget,** *et valet catholicae fidei depositum efficaci praesidio* **etiam nunc tueri»** *(Allocutio* ad Patres Ord. Praed. in Capitulo Generali Adunatorum, habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387, 388).

Quarto, errant similiter per defectum qui auctoritatem doctrinalem S. Thomae excipiunt quidem validamque reputant pro nostris quoque diebus; eam tamen restringunt, in re praesertim philosophica, ad paucas illas veritates ordinis naturalis aliunde revelatas vel cum eis necessario connexas, puta exsistentian Dei personalis et a mundo distincti, eius unitatem et providentiam, mundi opificium per liberrimam Dei creationem ex nihilo, animae nostrae spiri-

tualitatem et immortalitatem, hominis beatitatem in solo Deo reponendam; cetera vero quae in corpore eius philosophico reperiuntur minoris aestimant momenti, aut certe nullum eis valorem singularem agnoscunt.

Videlicet, ut aiunt, auctoritas doctrinalis Aquinatis, quam Ecclesia tantopere exsaltat, eas solum respicit veritates in re philosophica quae communes sunt omnibus philosophis christianis, licet ab Angelico nitidius ac profundius fuerint propositae: non autem singulares eius opiniones vel doctrinas quas nullo non tempore alii philosophi christiani in crisim revocarunt vel etiam data opera impugnaverunt, ut sunt praesertim illa doctrinae capita quae viginti quatuor thesibus eontinentur, de quibus supra factus est sermo (p. 93-94).

Imo, non dessunt qui systema philosophicum Doctoris angelici proprium uti pulcherrime constructum extollunt, at eius basim metaphysicam labefactare intendunt vel soliditatem in dubium revocant, illud systemati philosophico Hegelii petulanter comparantes.

At haec minime fundata sunt, et cum expressis Ecclesiae documentis componi non possunt. Equidem verum est in Thomae doctrina philosophica duas illas partes contineri: aliam communem, in qua omnes prorsus philosophi christiani conveniunt; aliam peculiarem, in qua ceteri philosophi extra eius scholam non consentiunt, sed alias vias ingrediuntur vel alio modo easdem doctrinas insectantur. Inde tamen nullo modo sequitur id quod pertentant.

Nam *relate ad illam partem in qua omnes omnino philosophi christiani conveniunt, quaeque in veritates paulo supra memoratas explicatur, tanta est auctoritas tantaque obligatio eas suscipiendi, ut nulla amplius viro catholico relinquatur libertas dissentiendi*. Ita Concilium Vaticanum definivit «Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse» (Denz.—Umberg, Enchir. Symbol., n.° 1785. Cf. n.° 1806): quae quidem cognitio, ut addit Iusiurandum contra modernistas, est vera demonstratio (op. cit., n.° 2145), eaque ad naturam eius et attributa etiam porrigitur, ut docet Pius IX contra Frohschammer (ns. 1670, 1672), nempe unitatem, infinitatem, creationem mundi, universalem in omnes res creatas dominationem (Conc. Vat., n.° 1806; contra Bautain et Bonnetty, ns. 1622, 1650). Similiter animae nostrae spiritualitatem (Contra Bonnetty, n.° 1649) et immortalitatem (Concil. Lat. V, n.° 738).

Haec autem omnia aliaque id genus evidenter consistere non possunt nisi humanae rationis agnoscatur vis naturalis veritatem obiectivam certo assequendi rerum etiam humanos sensus excedentium, itemque principiorum metaphysicorum rationis sufficientis, causalitatis' finalitatis, sine quibus Dei exsistentia uti Causae Primae ex effectibus mundanis certo cognosci adeoque demonstrari non potest.

De quibus loquens Leo XIII ait ea esse «vera quae vel divinitus ad credendum proponuntur vel cum doctrina fidei arctis quibusdam vinculis colligantur» (Enc. *Aeterni Patris*, ed. cit., I, 46). Atque Pius

XII ea considerat «veluti patrimonium a superioribus christianis aetatibus traditum, atque adeo *altioris etiam ordinis auctoritatem habet*, quia ipsum Magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, *ad ipsius divinae revelationis trutinam vocavit*. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita et recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem.

In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; *at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus*, **eadem libertas non viget**... Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae menti per se notis, vel de sententiis illis, quae tum saeculorum sapientia, tum etiam divinae revelationis consensu ac fulcimine innituntur» (Enc. *Humani Generis*, AAS. 42 [1850] 571-572).

Quibus in verbis ea maxime principia et praecipua asserta indicare voluit quae ad duas spectant philosophicas disciplinas, theodiceam nempe et ethicam utpote «quae natura sua cum fidei doctrina arcte connectuntur» (ibid., 574-575).

Et hac praecise de causa in eos, qui novae philosophiae novaeque theologiae placita sequuntur, animadvertit: «in dubium revocatur humanam rationem,

absque divinae revelationis divinaeque gratiae auxilio, argumentis e creatis rebus deductis demonstrare posse Deum personalem existere; negat mundum initium habuisse, atque contenditur creationem mundi necessariam esse, cum ex necessaria liberalitate divini amoris procedat; aeterna et infallibilis liberarum actionum hominum praescientia Deo item denegatur: **quae quidem Vaticani Concilii declarationibus adversantur**» (ibid., 570).

Quoad aliam vero partem Thomae eiusque scholae propriam, non est tanta auctoritas ei ab Ecclesia communicata, neque tanta obligatio eam amplectendi. In qua quidem distinguere iuvat principia et pronuntiata maiora una cum superstructo aedificio indolis praesertim metaphysicae, et alia minus praecipua indolisque potius physicae atque coniecturarum experimentalium, itemque nonnullas subtiliores elucubrationes aut remotiores conclusiones ad disciplinas primum philosophicas ac porro theologicas spectantes.

Quod attinet ad *accidentalia prorsus ac secundaria indolis physicae et coniecturarum experimentalium,* certum est ea, *ut plurimum,* redolere coniecturas vel hypotheses sui temporis aetatumque praeteritarum, a modernis indagatoribus nedum correctas, verum etiam *superatas.* Ad quae respiciens Pius XII dixit: «eoque minus nunc sermo est de illis doctrinarum ad physica seu ad rerum naturam attinentium opinationibus et formulis, quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant, aut de illarum consectariis, quatenus quidem opiniones illas nostra aetate reperta et inventa humanarum disciplinarum *exsuperarunt et praetergressa sunt:* quibus repertis et inventis Ecclesia favet, nedum adversetur; ea provehit, nedum metuat» *(Allocutio* ad Patres delegatos ad Capitulum generale Ord. Praed., habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387).

Subtiliores vero elucubrationes vel *remotiores* quasdam conclusiones in re tum philosophica cum theologica quod respectat, eae quidem *in se,* dummodo solidae vereque fundatae sint, minime sunt negligendae multoque minus contemnendae, licet *nunc temporis,* ob impugnationes veritatum fundamentalium, in hisce tuendis maxima sit adhibenda opera. *Relate* ergo ad veritates fundamentales philosophicas ac theologicas in tuto ponendas, illae *nunc* minoris videntur esse momenti, quamvis *absolute* consideratae et abstractione facta ab actuali conditione colluctationis contra fundamenta fidei et rationis, magni sint aestimandae atque porro ducendae in disciplinis philosophicis ac theologicis.

Quapropter idem Summus Pontifex sapienter edixit: «hac autem in re *nunc* minoris videntur esse momenti quaestiones, in quibus sub ecclesiastici magisterii ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantaecumque eaedem in philosophicis et theologicis indagationibus et disceptationibus ducendae sint... *Nunc* vero agitur de ipsis philosophiae perennis et theologiae *fundamentis,* quae quaelibet ratio et disciplina, *re ac nomine catholica aestimanda,* agnoscit ae veretur; agitur de scientia et fide, de earum natura ac mutua ratione; agitur de

ipsa fidei basi, quam nullum censurae iudicium labefactet; agitur de veris a Deo patefactis, an nempe mentis acies ea certis notionibus penetrare atque ex eis ulteriora colligere possit» (ibid.).

Quod denique spectat *principia et pronuntiata maiora totumque corpus doctrinale indolis praesertim metaphysicae* — ac dein theologicae — *super eis structum*, aliter omnino iudicandum est. De hoc enim complexu doctrinali valent maxime encomia, hortamenta atque praecepta tam saepe tamque urgenter a Leone XIII eiusque successoribus repetita, ut e supra dictis (p. 108-117) patet. Ideo Pius XII prosequitur: «paucis dicimus: de hac re quaeritur, an videlicet quod S. Thomas Aquinas aedificavit, *ultra et supra quodlibet tempus* una compositis et compactis elementis, quae omnium temporum christianae sapientiae cultores suppeditaverant, solida rupe innitatur, perpetuo vigeat et valeat, catholicae fidei depositum efficaci praesidio *etiam nunc* tueatur, novis quoque theologiae et philosophiae progressibus *securo* usui et moderamini sit. *Id sane Ecclesia asserit*, cum id sibi persuasum habeat hoc itinere ad veritatem cognoscendam et solidandam *tuto* procedi. Ideo Constitutione Apostolica «Deus scientiarum Dominus», die XXIV Maii anno MCMXXXI edita, ipsa memoratam praescriptionem Codicis iuris Canonici [can. 1366 § 2] confirmavit. Philosophia proponatur oportet — hoc ibidem *praecipitur* — ita ut auditores *plena cohaerentique synthesi doctrinae* ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur; et in theologia veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstra-

tis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur» (ibid., 387-388).

Neque solum eminere dicunt super ceteras philosophandi rationes atque doctrinas extrascholasticas, verum *etiam prae ceteris omnibus intra ipsum Scholae gremium propositis*. Hoc enim fuit causarum caput et summa quibus Leo XIII motus est ad Angelicum declarandum omnium scholarum catholicarum patronum, «*eminere inter omnes S. Thomam*, quem in variis scientiarum studiis tamquam exemplar, catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia; doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita; obsequium fidei et cum veritatibus divinitus traditis mira consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum» (Breve *Cum hoc sit*, ed. cit., I, 112).

Et iterum: «**inter scholasticos doctores,** *omnium princeps et magister*, **longe eminet Thomas Aquinas**» (Encyc. *Aeterni Patris*, ed. cit., I, 62). Ideo vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream S. Thomae sapientiam restituatis et quam latissime propagetis. *Sapientiam* **S. Thomae** *dicimus:* si quid enim est a doctoribus *scholasticis* vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.

Ceterum, *doctrinam S. Thomae* studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; *eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant*» (ibid., 73-74).

Quod autem hic agatur de praeeminentia doctrinae S. Thomae super ceteras omnes doctrinas, nedum extra, verum *intra ipsammet Scholam*, apparet evidenter ex his quae immediate sequuntur: «ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae *ex ipsis eius fontibus hauriatur*, aut saltem ex iis rivis quos ab ipso fonte deductos, adhuc *integros et illimes* decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis qui exinde fluxisse *dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis* creverunt, adolescentium animos *arcendos* curate» (ibid.).

Quod si iudicio huius Pontificis nulla esset praeeminentia thomisticae doctrinae prae ceteris, etiam scholasticorum doctorum, sane non apparet ratio cur sodales Ordinum Fratrum Minorum et Societatis Iesu tam vehementer urgeret ad Thomae doctrinam sequendam, nam uterque Ordo suos habebat doctores et doctrinam scholasticam. Hinc Patres Societatis Iesu monet ut, si qua in re auctores eiusdem Societatis a documentis S. Thomae dissideant, hunc sequantur et illos relinquant: «nihil tunc ambigendum quae recta sit via» (Litterae Apostolicae *Gravissime Nos*, ed. cit., p. 248).

Scholasticos etiam doctores omnes praeter unum Thomam intelligebat B. Pius X quando scribebat: «quod si alicuius auctoris vel Sancti doctrina a nobis

nostrisve decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus, atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret» (Motu proprio *Doctoris Angelici*, AAS. 6 [1914] 338).

Et adhuc lucidius Pius XII: «*inter omnes* **scholasticae** *philosophiae cultores Sancto Thomae incomparabilis palma reservatur, ipseque principem occupat locum.* Veritatis unice amator, is quanta reverentia, quam quidem veritas poscit, res penitus intelligendas considerat, facta rimatur, litteras et documenta, e quibus acta dictaque explorantur, investigat. Quam apta est ipsi in disquisitionibus partium dispositio, quam firmum argumentorum robur et lucida dicendi proprietas! Victrici fortitudine, quam mentis celsitas parit, ad conclusiones progreditur; *metaphysica principia, quae sunt omnibus aetatibus commune christianae sapientiae patrimonium, usque ad extrema consectaria placide et* **tuto** *enucleando deducit*» (*Allocutio* habita die 17 septembris 1950 ad eos qui interfuerunt tertio thomistico internationali Conventui, Romae habito. AAS. 42 [1950] 734-735).

Speciatim vero principia et pronuntiata maiora philosophiae thomisticae eiusque metaphysicam doctrinam extollunt, approbant, commendant, praecipiunt.

Metaphysicam quidem doctrinam: «magistros autem menemus — ait B. Pius X — ut rite hoc teneant,

Aquinatem **vel parum deserere,** *praesertim in re metaphysica,* **non sine magno detrimento esse.** Parvus error in principio, sic verbis ipsius Aquinatis licet uti (De ente et essentia, prooem.), est magnus in fine» (Motu proprio *Sacrorum Antistium,* die 1 sep. 1910. AAS. 2 [1910] 656-657. Et iterum: «Omnes qui philosophiae et racrae theologiae dant operam, illud admonitos iam voluimus, **si ullum vestigium,** *praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent,* **non sine magno detrimento fore**» (Motu proprio *Doctoris Angelici,* die 29 iunii 1914, AAS. 6 [1914] 338).

Principia quoque et pronuntiata maiora. In Motu proprio «Sacrorum Antistitum» edixerat B. Pius X: «quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam *praecipue* intelligimus quae a S. Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a deccesore nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus» (AAS. 2 [1910] 656). Haec autem cum perperam fuissent a quibusdam intellecta, authentice ea interpretatus est idem Pontifex et urgentius praecepit: «iam vero cum dictum hoc loco a nobis esset *praecipue* Aquinatis sequendam philosophiam, non *unice,* nonnulli sibi persuasserunt nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis *e Doctoribus scholasticis* in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. *Planum* est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, **nos de eius principiis**

maxime hoc intelligi voluisse quibus tamquam fundamentis, ipsa nititur»; ideo «sante inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae» (Motu proprio *Doctoris Angelici,* AAS. 6, 336-337). «Praeterea edicimus non modo non sequi Thomam, sed longissime a Sancto Doctore aberrare eos qui, quae in ipsius philosophia *principia et pronuntiata maiora* sunt, illa perverse interpretententur aut prorsus contemnant» (ibid., 338).

Iam vero inter principia et pronuntiata maiora philosophiae S. Thomae, certo adnumerari debent viginti quatuor theses a Sacra Studiorum Congregatione hoc in sensu propositae et approbatae, iussuque B. Pii X promulgatae: «de eiusdem Sanctitatis Suae mandato respondet eas *plane continere S. Doctoris principia et pronuntiata maiora*» (AAS. 6 [1914], 384.

Quam sententiam iterum confirmavit eadem Sacra Congregatio sub Benedicto XV: «*germanam* S. Thomae doctrinam exprimunt». Decrevit insuper eas in scholis esse proponendas veluti tutas normas directivas (ASS. 7 [1916] 157). Textus primaevus ferebat: «proponantur veluti normae directivae»; at ipse Benedictus XV propria manu verbum **tutae** addidit (Cf. T. Sante Centi, O. P., San Tommanso d Aquino, La Somma Theologica, Introduzione Generale, p. 270. Firenze, 1949).

Proponantur nempe, non imponantur; non tamen proponantur utcumque, puta ad meram eruditionem, ad exercitium, ad disputationem, sed hoc in sensu determinato: veluti tutae normae directivae. Veluti *nor-*

mae, inquam, idest veluti *regulae vel principia,* nam regula sive norma est ad quam cetera regulantur sive exiguntur ut ad rationem vel principium rectitudinis.

Directivae, non imposita obligatione ad tenendum, ut in quaesito sciscitabatur, sed ad dirigendum tantum, *ad plenam scilicet perfectamque studiorum philosophicorum rectitudinem* **reapse** *habendam,* ut ipsa vis verbi, *directivae,* postulat. Dirigere namque, ex *de-regere,* importat intensitatem, perfectionem, plenitudinem regiminis et rectitudinis: et quidem adiectivum, *directivae,* nominat huiusmodi plenitudinem regiminis et rectitudinis *in ipso suo exercitio;* non de iure tantum et mere potestative, sed *de facto,* modo practico, et *per actualem applicationem regulae ad regulatum.*

Tutae, securae, ab errore inmunes, ita quidem ut, qui eas adhibuerit, recta omnino via incedat in philosophando, *absque ullo errandi periculo.* Est enim ratio philosophandi S. Thomae, ut ait Leo XIII, «*verissima atque omnium aptissima* ratio philosophandi, quam cunctos vel in docendo vel in discendo ingredi vellemos» (Epistula ad Card. Deschamps, d. d. 25 dec. 1880, apud Bethier, op. cit., p. 234). Et alio in loco: «ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque libera vult acie penetrare, nec non velle potest; verum Aquinate Auctore et Magistro, hoc ipsum facit expeditius et liberius, quia *tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis*» (Encyc. «Officio sanctissimo», ad Episcopos Bavariae, d. d. 22 dec. 1887. Acta, ed. cit., II, 128).

Quibus plane consentit B. Pius X: «cuius [Thomae] via et ratio usque ad profundissimam divinarum rerum cognitionem *sine ullo erroris periculo* perducit... Aquinatem enim deserere, in re philosophica praesertim et theologica, uti iam diximus, non sine magno detrimento esse potest; *ipsum sequi tutissima est via* ad profundam divinarum rerum cognitionem» (Motu proprio «Praeclara», d. d. 24 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 334-335). Rursus: «*sanctum* — inquit — *et solemne* **semper** *habeatis,* et dicto audientes huic Apostolicae Sedi, et Ducem philosophandi de divinisque rebus disputandi sequi Thomam. *Ita,* in hac agitatione studiorum, **numquam** *a christianae veritatis regula aberrabitis*» (Epistula ad R. P. Velázquez, O.P., Rectorem Universitatis Malinensis d. d. 7 martii 1909. AAS. 1 [1909] 274-275). «*Nec sane tutior ulla haberi potest* hoc in genere institutio quam quae ducem sequatur et magistrum Thomam» (Epistula ad R. P. Lottini, O. P., d. d. 9 augusti 1910. AAS. 2 [1910] 724.

Nimirum huiusmodi philosophia tantae est veritatis et securitatis, ut Benedictus XV eam appellet philosophiam secundum Christum. «Nos vero — ait — cum aeque ac decessores nostri persuasissimum habeamus *de illa* **tantum** philosophia nobis esse laborandum quae est *secundum Christum* (Colos. II, 8), **...propterea** ipsius philosophiae studium *ad principia et rationem Aquinatis* **omnino exigendam esse,** ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis» (Motu proprio «Non multo post», d. d, 31 dec. 1914. AAS. 7 [1915], 6-7).

Eodem modo Pius XI laudat plurimum opera philosophica Card. D. Mercier, Ontologiam praesertim, quia in ipsa, inquit, «ea *metaphysicae S. Thamae* **principia** illustrando tueris, **a quibus recedere, etiam in re minima, non sine magno detrimento esse,** opportune monuit decessor noster fel. rec. Pius X» (Epistula d. 26 martii 1924. AAS. 16 [1924] 225). «Dai suoi libri *attingete sempre la verità» (Allocutio* ad Professores et studentes Collegii Angelici de Urbe, habita die 12 dec. 1924, apud «Xenia Thomistica», III. 600. Romae. 1925).

Iudicio ergo Sedis Apostolicae, haec sunt certo principia et pronuntiata maiora philosophiae S. Thomae, haec sunt etiam proponenda in scholis catholicis veluti tutae normae directivae, haec doctrinam continent quam ceteris omnibus praefert Ecclesia, haec sunt ab omnibus catholicis libenter amplectenda, iuxta illud Pii XII ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in alma Urbe ad sacerdotium efformantur: «animum afferte plenum amoris et studii erga S. Thomam; totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis; *quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione* **ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini** *(Sermo* habitus die 24 iunii 1939 in Palatio Apostolico Vaticano. AAS. 31 [1939] 246). Et ideo numquam vel unam eius doctrinam philosophicam «subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed obsoletum existimare monumentum» (Encyclica *Humani Generis,* AAS. 42 [1950] 572).

Ex quo denique patet toto coelo distare a mente et voluntate Ecclesiae opinationes illas quorumdam scriptorum etiam catholicorum, immo et ecclesiasticorum, qui corpus doctrinale philosophicum S. Thomae cum systemate philosophico Hegelii, ob perpulchram constructionem, at super arenam sine fundamento aedificatam, temere comparere audent.

Has opinationes praevidens utque reiiciens, Pius XI *in Allocutione* ad studentes universitarios, mense februario 1927 habita, congruenter edixerat: In philosophia S. Thomae adest «per cosi dire, un certo Vangelo naturale, un fondamento incomparabilmente solido per tutte le **costruzioni scientifiche,** poichè **la caratteristica del tomismo é quella di essere anzitutto oggetivo:** le sue **non sono costruzioni** o elevazioni dello spirito **semplicemente asttrate,** ma sono **le costruzioni** dello spirito che seguono **l'invito reale delle cose... Non verrá mai meno il valore della dottrina tomista, perché bisognerebbe che venisse meno il valore delle cose»** (Apud Cordovani *San Tommaso nella parola di Pio XI,* «Angelicum», 6 [1929], 10).

Quinto, denique peccant per defectum qui, licet haec omnia verbis agnoscant, immo et extollant, factis tamen summam Thomae auctoritatem negant vel deprimunt, quatenus eam vel *mere symbolice intelligunt, ac si Thomas non personam gereret singularem et individuam sed omnes scholasticos scriptores indifferenter et in confuso repraesentaret, ac proin auctoritas illa maxima doctrinalis afficeret doctrinam scholasticam indistincte, non doctrinam ipsius Thomae distinctim, licet per antono-*

masim ex Thoma denominaretur quasi ex famosiore scholasticorum; **vel,** *etiamsi eam realiter et singulariter sumant, ipsi tamen adaequant aliorum scriptorum ecclesiasticorum auctoritatem, ita ut tantundem aut fere Thomae illorumque valeat auctoritas.* **Quo fit, ut nulla sit specialis obligatio Aquinatem sequi ducem, sed potius omnimoda libertas cuiuscumque multorumve simul doctrinas, licet inter se pugnantes, more eclecticorum amplectendi.**

Nimirum, ut ipsi dictitare solent, *Thomae quidem doctrina commendatur a Romanis Pontificibus ut tuta et secura; hoc tamen non impedit quominus aliorum scriptorum doctrina, licet non cohaerens, sed contraria sit Aquinatis doctrinae, tuta atque secura dicatur et sit, immo et tutior atque securior. In Thomae exsaltatione, potius quam ipsa doctrina thomistica approbatur et commendatur ab Ecclesia doctrina mere scholastica.*

At eos multum animus fefellit (B. Pius X). **Documenta Ecclesiae huiusmodi sensum manifeste et positive excludunt**. Sufficiat nobis, e tanta documentorum segete, nonnulla tantum referre.

Ait Leo XIII: «nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum, *vos omnes,* Venerabiles Fratres, *quam enixe hortamur ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream S. Thomae Sapientiam restituatis et quam latissime propagetis.*

Sapientiam S. Thomae dicimus. Si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.

Ceterum *doctrinam Thomae Aquinatis studeant Magistri, a vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare* **eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant»** (Encyclica *Aeterni Patris. Acta,* ed. cit. I, 72, 74).

Ad Patres autem Societatis Jesu scribit ne ita propriorum sodalium studio incumbant ut a colenda vera S. Thomae doctrina, in qua uniformes esse debent, ullo modo recedant: haec enim uniformitas «nullo pacto speranda est nisi Societatis alumni auctori adhaerent *uni,* ei scilicet iam probato, de quo *uno* praeceptum [in legibus eiusdem Societatis]: **«sequantur S. Thomam, eumque uti proprium doctorem habeant».** *Ex quo illud consequitur ut, si qua in re ii ipsi auctores* [domestici Societatis] *quos laudavimus, a documentis Magistri Communis* [scilicet S. Thomae] *dissideant,* **nihil tunc ambigendum quae recta sit via», nempe Aquinatis via** (Breve *Gravissime nos,* datum die 30 decembris 1892, apud Berthier, op. cit., 248).

Ad Ministrum Generalem vero Ordinis Fratrum Minorum: «*sanctum itaque sit apud omnes beati Francisci alumnos Thomae nomen,* **vereanturque non sequi ducem quem bene scripsisse de se Jesus Christus testabatur»** *(Epistula* data die 25 novembris 1898. Acta, t. V, 284).

B. Pius X conqueritur se a quibusdem non fuisse rite intellectum cum edixit philosophiam Aquinatis esse *praecipue* sequendam (Motu propio *Sacrorum Antistitum*, die 1 septembris 1910. AAS. 2 [1910] 656). Quia, inquit, diximus **praecipue** *non unice*, «*nonnulli sibi persuaserunt nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset,* **quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberunt promiscua ad sequendum**».

At vehementer decepti sunt. Nam, «**si alicuius Auctoris vel Sancti doctrina a nobis nostrisve decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret**» (Motu proprio *Doctoris Angelici*, die 29 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 336, 338).

Tantumque abest ut doctrina S. Thomae in diffusam quamdam et veluti amorpham scholasticam doctrinam dissolvatur, ut potius haec, si quid valet, in illam sit resolvenda: «*in tradentis philosophiae et theologiae praeceptis Magistri fideliter* **scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas, sequantur**» (Pius XI, Litterae Apostolicae *Unigenitus Dei Filius*, datae die 19 martii 1924. AAS. 16 [1924] 144; Litterae Apostolicae *Officiorum Omnium*, datae 1 augusti 1922). AAS. 14 [1922] 454-455; Pius XII, Encyclica *Humani generis*, datae die 12 augusti 1950. AAS. 42 [1950] 572-573).

AuctoritasS. Thomae tam philosophica quam theologica est *omnino singularis* (Pius XII, *Allocutio* ad Patres Ord. Praed. in Capitulo Generali adunatos, habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387): «**inter omnes scholasticae philosophiae cultores Sancto Thomae incomparabilis palma reservatur, ipseque principem occupat locum**» (*Allocutio* ad eos qui tertio thomistico Conventui internationali interfuerunt, habita die 17 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 734).

Ceterum, *doctrina S. Thomae non est tantummodo ab Ecclesia approbata et commendata ut mere tuta et secura utcumque, verum etiam ut* **tutior ac securior** *ceteris, immo ut omnium* **tutissima, certissima et securissima.**

S. Pius V asserit S. Thomae «doctrinam theologicam ab Ecclesia Catholica receptam, **aliis magis tutam et securam exsistere**» (Ad Magistrum Sacri Palatii dum ei praebendam confert in Basilica S. Petri, die 29 iulii 1570, apud Berthier, op. cit., 99): ipsa enim est «**certissima christianae regula doctrinae**» (Constitutio *Mirabilis Deus*, data die 11 aprilis 1567, ibid., 98).

Benedictus XIV citat suaque facit verba Clementis VIII dicentis Thomam *sine ullo prorsus errore* sua opera conscripsisse, et addit ea consequenter *inoffenso pede* decurri posse (Breve, datum die 2 augusti 1756, quo Statuta aprobat Collegii S. Dionysii Granatensis, ibid. 156); immo *praecipit* «*ut deinceps* **nemo ex Magistris sive Lectoribus eiusdem Collegii**

Dionysiani aliam doctrinam, praesertim in rebus theologicis, praeter unicam S. Thomae Aquinatis doctrinam in scholis et cathedris dicti Collegii auditoribus legere, tradere et explicare possit» (ibid.)

Leo XIII extollit doctrinam eius *incorruptam*. Etenim «quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum fuerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit» (Breve *Cum hoc sit*, datum die 4 augusti 1880. *Acta*, ed. cit. I, 112). Ea est «quam amplae Romanorum Pontificum Sacrorumque Conciliorum laudes commendant, et *qua, suffragante saeculorum voce,* **nihil solidius aut fructuosius optari potest»** (Litterae *Gravissime nos*, datae die 30 decembris 1892, apud Berthier, op. cit., 244). «Domestica vero atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et Scholis **sanior** traderetur **et Magisterio Ecclesiae conformior doctrina qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur»** (Encyclica *Aeterni patris*, data die 4 augusti 1879. *Acta*, ed. cit., I, 70).

S. Thomas «**habet certissimam philosophandi rationem»** (Epistula ad Card. Gibbons, data die 29 iunii 1895, apud Berthier, op. cit., 250). Eius ratio philosophandi «**verissima atque omnium aptissima»** est, «quam cunctos vel in docendo vel in discendo ingredi vellemus» (Epistula ad Card. Desckamps, data die 25 decembris 1880, ibid., 215). Nam «ratio

quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque *libera vult acie penetrare, nec non velle potest; verum Aquinate Auctore et Magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius*, **quia tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis»**(Encyclica *Officio sanctissimo* ad Episcopos Bavariae, data die 22 decembris 1887. *Acta,* ed. cit., II, 128).

Eius «aurea doctrina — ait B. Pius X — mentes splendore suo illuminat; cuius via et ratio usque ad profundissimam divinarum rerum cognitionem **sine ullo erroris periculo perducit»** (Motu propio *Praeclara*, die 24 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 334). «*Aquinatem enim deserere, in re philosophica praesertim et theologica, uti iam diximus, non sine magno detrimento esse potest*; **ipsum sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem»** (ibid., 335). «Sinite hortemur vos ut **sanctum et solemne semper habeatis, et dicto audientes esse huic Apostolicae Sedi, et Ducem philosophandi de divinisque rebus disputandi sequi Thomam. Ita,** *in hac agitatione studiorum,* **numquam a christianae veritatis regula aberrabitis;** quod non paucis hodie contingit, dum suo ipsorum iudicio aut suspectae certorum hominum auctoritati plus aequo indulgent» (Epistula ad R. P. Velázquez, data die 7 martii 1909. AAS. 1 [1909] 274-275).

«**Nec sane tutior ulla haberi potest hoc in genere institutio quam quae ducem sequatur et magistrum Thomam,** unde tantum hauserunt luminis ac firmitatis qui de rebus divinis ad eius mentem conscripserunt» *(Epistula* ad R. P. Lottini, data die 9 augusti 1910. AAS. 2 [1910] 724).

Si ergo Thomae doctrina tutior, immo et tutissima declaratur et commendatur, ceterae doctrinae eidem non cohaerentes, immo et ei adversantes, non possunt esse neque dici aeque tutiores, multoque minus aeque tutissimae; comparativum enim et superlativum excludunt in aliis eumdem perfectionis vel qualitatis gradum, ut vel ex ipsa grammaticali verborum significatione scimus: «**nec sane tutior ulla haberi potest hoc in genere**», ut modo audivimus ex ore B. Pii X.

Immo, vel ex eo solum quod Aquinatis doctrina ut mere tuta et secura approbetur quin hoc ipsum de aliis ei non cohaerentibus affirmetur, constat has dici non posse aeque tutas et securas. Ut enim ad rem scribit Ioannes a S. Thoma, «comendari in securitate doctrinae, maxima commendatio est: *licet aliae non damnentur neque reiiciantur,* **sed haec antefertur.** *Insanum* enim videtur quod, si Ecclesia *maioribus* titulis ac *pluribus* modis extollit et approbat S. Thomae doctrinam, *ex aequo* admittat et probet eam quae isti *contradicit;* sic enim destrueret quod aedificaret» (*Tractatus* de approbatione et auctoritate doctrinae angelicae Divi Thomae, disp. 1, a. 3 n.º 23, ed. Solesm. Cursus theol. I, 248 b. Parisiis, 1931).

Art. 2. Arcendi errores per excessum.

Inde tamen non oportet in extremum oppositum abire. Ita errant per excessum et praeceptis Ecclesiae non obtemperant:

Primo, qui omnem aliorum Ecclesiae scriptorum auctoritatem denegant, ac si Thomae auctoritas omnem aliam quamcumque auctoritatem doctrinalem excluderet, et Angelicus esset unicus Ecclesiae Doctor. Hoc enim esset, et contra doctrinam ipsius S. Thomae, et contra approbationem eius ab Ecclesia.

Contra ipsum S. Thomam, qui Sapientiae studiosum monet: «non respicias a quo audias, sed *quidquid boni dicatur memoriae recommenda*» (Opusculum *De modo studendi).* Insuper «nullus est sufficiens ad excogitanda omnia quae ad sapientiam pertinent, et ideo nullus ita sapiens est quin instruatur ab alio» (Comment. *in Psalmum 43*, n.º 1 Opera, ed. Vives, XVIII, 495): «et per hunc modum facta sunt additamenta in artibus, quarum a principio aliquid modicum fuit adinventum, et postmodum per diversos paulatim profecit in magna quantitate; quia ad quemlibet pertinet superaddere id quod deficit in consideratione praecedentium» (Comment. *in I Ethicorum* ad Nicomachum, lect. 11, n.º 133).

Ipsemet maximam auctoritatem Aristoteli tribuit in philosophia et S. Augustino in theologia, quin tamen alios ullo modo excluderet. Thomas enim, ut Caietanus animadvertit (Comment. *in Summam Theologiae*, II-II, q. 148, a. 4), quem refert et approbat Leo XIII, «veteres doctores Sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est» (Encyclica *Aeterni Patris. Acta,* ed. cit. I, 62).

Contra eius approbationem ab Ecclesia, quae aliorum auctoritatem expresse recognoscit. Cum enim Thomam commendamus —ait Leo XIII—, «non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes

qui industriam et eruditionem suam ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam afferunt; id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere» (Encyclica citata, ibid. 68). Immo, «*edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum*» (ibid., 72).

Ut de Patribus Ecclesiae taceamus, itemque de Doctoribus quorum numerus in dies augetur quibusque Ecclesia pro meritis auctoritatem largitur, placet haec tantum verba eiusdem Leonis XIII referre: «iucundissima enim subit recordatio fausti illius temporis quo ex Parisiensis Facultatis Theologicae gremio prodibant atque in ea rursus partae sapientiae thesauros effundebant Petrus Lombardus, Guillelmus Parisiensis, Albertus Magnus, Bonaventura, Aegidius aliique quamplures qui totum orbem lectissimae sapientiae luce collustrarunt, quos prae numero praetermittere necesse est, ut unum memoremus Thomam Aquinatem quem velut solem fulgidissimum Ecclesia universa admiratur et suspicit. *Tales tamque insignes duces novi Doctores sequantur*, et, eorum si legant vestigia, **maxime vero si Angelici Magistri doctrinam amplectantur et diligenter enarrent et strenue tueantur,** pristinam illam dignitatem et eximium decus magno studiorum et ipsius rei christianae incremento revicturum speramus» (*Litterae* de Facultate Theologica instituenda in Instituto Catholico Parisiensi, datae die 10 decembris 1889, apud Berthier, op. cit., 236-237).

Alia est claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim deffert a stella in claritate (I

Cor. 15, 41): omnes clarescunt, diverso tamen gradu; neque maior claritas Solis excludit minores aliorum siderum claritudines, sed eas perficit et fulgentiores reddit. Sic etiam claritas Solis Aquinatensis non excludit aliorum Doctorum refulgentias, sed ex eo quod eorum doctrinas ipse perpolivit, digessit et auxit, illustriores et clariores reddidit.

Secundo, errant per excessum qui omnia et singula elementa syntheseos doctrinae thomisticae putant esse aequalis auctoritatis scientificae vel canonicae, etiamsi secundaria vel minima sint, nullamve dicant ex se relationem ad veritates fidei et morum.

Ut nemque scribit B. Pius X, «planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, *nos de eius principiis* **maxime** *hoc intelligi voluisse, quibus* **tamquam fundamentis** *ipsa nititur* (Motu proprio *Doctoris Angelici.* AAS. 6 [1914] 337). «Nam *quae in philosophia S. Thomae sunt* **capita,** *non ea haberi debent de quibus in utramque partem disputare licet, sed* **velut fundamenta** *in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit:* quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae Magisterio proponuntur. Itaque omnes qui philosophiae et sacrae theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium, **praesertim in metaphysicis,** ab

Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore» (ibid., 338).

Inter huiusmodi autem principia vel pronuntiata maiora in re philosophica, numeradae veniunt *viginti quatuor theses thomisticae*, quas Sacra Studiorum Congregatio declaravit «plane continere S. Doctoris *principia et pronuntiata maiora*» (Die 27 iulii 1914, AAS. 6 [1914] 383-384; die 7 martii 1916. AAS. 8 [1916] 157).

Hinc illud Pii XII ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in Alma Urbe ad Sacerdotium efformantur: «quidquid ad eam [doctrinam S. Thomae] manifesto pertinet et tuta ratione **ut praecipuum** in ea habetur, libenter amplectimini» (*Sermo* habitus die 24 maii 1989. AAS. 31 [1939] 246).

Et iterum in Encyclica *Humani generis:* «in hac philosophia plura exponuntur quibus res fidei et morum neque directe neque indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; *at quoad alia plura,* **praesertim quoad principia assertaque praecipua** *quae supra memoravimus* [metaphysica inconcussa principia, rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis] *eadem libertas non viget*» (AAS. 42 [1950] 572).

Simul tamen prae oculis habenda sunt quae ad docentes et alumnos Universitatum et Scholarum e Gallia Romam peregrinantes dicebat: «toutes les sciences ont, directement ou indirectement, quelque rapport avec la religion, non seulement la théologie, la philosophie, l'histoire, la litterature, mais encore les autres sciences: juridiques, médicales, physiques, naturelles. cosmologiques, paléontologiques, philologiques. A supposer qu'elles n'inclueraint aucune rélation positive aux questions dogmatiques et morales, elles risqueraient néamoins souvent de se trouver en contradictión avec elles. Il faut donc, même si l'enseignement ne touche pas directement à la verité et à la conscience religieuse, que l'enseigñant, lui, soit tout imbu de religion, de la religion catholique» (*Allocutio* habita die 21 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 735).

Licet ergo in synthesi doctrinali thomistica omnia sint plene digesta, cohaerentia et ordinata, non tamen singula sunt eiusdem valoris, soliditatis et auctoritatis, sed maxime principalia et fundamentalia in quibus cetera nituntur et ex quibus reliqua dependent.

Tertio, errant pariter per excessum, qui omnem excludunt libertatem cogitandi, iudicandi, investigandi, exprimendi verbis huiusmodi doctrinam quoad illa ipsa principia et pronuntiata maiora, ac si omnia et singula huiuscemodi principia essent imposita ad credendum vel assentiendum mente.

Cum enim a Sacra Studiorum Congregatione quaesitum esset an omnes illae virginti quatuor theses philosophicae thomisticae imponi deberent Scholis catholicis tenendae, respondit eas omnes continere quidem ac exprimere germanam S. Thomae doctrinam, quin tamen simul imponendas diceret Scholis Catholicis ab eisque tenendas, sed simpliciter addidit: «eaeque *proponantur veluti tutae normae directivae*» *(Res-*

ponsio data die 7 martii 1916. AAS. 8 [1916] 157). «*nullo scilicet omnium amplectendarum thesium imposito officio*», ut declaravit Benedictus XV in Epistula ad Praepositum Generalem Societate Iesu data die 19 martii 1917. Simul tamen commendavit Rdo. Patri Hugon, O. P., ut illas theses commentariis illustraret earumque vim et veritatem obiectivam in perspicuo poneret: cui et iterato subiunxit, ut ipse narrat, quod «*s' il n' entendait* **pas les imposer á l' assentiment intérieur,** *il demandait qu' elles fussent* **proposées comme la doctrine préférée** *par l' Eglise*» *(Les Vingt-quatre theses thomistes*, p. VII. Paris, 1922).

Semper igitur manent magis approbatae, magis commendatae magisque praeferendae quam theses eisdem non cohaerentes vel oppositae: hae namque mere **permittuntur et tolerantur,** illae vera **positive approbantur, commendantur et praeferuntur,** *imposito insuper officio eas in scholis proponendi veluti tutas normas directivas.* Et ideo, sicut peccaret per excessum qui eas omnes obligatorias in Scholis Catholicis diceret, ita per defectum peccant qui eis oppositas vel non cohaerentes aequaliter dicunt approbatas vel aequalis aestimant auctoritatis, ac si Ecclesia nullam manifestasset praeferentiam pro thesibus S. Thomae.

Respectu vero principiorum per se notorum atque primorum, sententiarumve saeculari usu comprobatarum aut veritatibus fidei confirmatarum, docet Pius XII: «etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus distinctionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere,

sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare: *numquam tamen eam subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidam sed obsoletum existimare monumentum.* Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae mentis per se notis, vel de sententiis illis quae tum saeculorum sapientia tum etiam divinae revelationis consensu ac fulcimine innituntur» (Encyclica *Humani Generis*. AAS. 42 [1950] 572. Cf. etiam *Allocutionem* ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, habitam die 23 septembris 1951. AAS. 43 [1951] 738).

Theologi namque ac philosophi catholici «suae aetatis hominibus, sive ore sive scriptis, debent ita loqui ut intelligenter et libenter audiantur. Ex quo id infertur, ut in proponendis et proferendis quaestionibus, in argumentationibus ducendis, in dicendi quoque genere deligendo, oporteat sui saeculi ingenio et propensioni sapienter orationem suam accommodent. At *quod immutabile est, nemo turbet et moveat*» *(Allocutio* ad Patres Societatis Iesu in Congregatione Generali adunatos, habita die 17 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 384-385).

«Quodsi opus fuerit, arduum non contigerit, ut experientia et usus ostendunt, laicis hominibus in hodierni sermonis perspicuitatem vertere et ampliore verborum gyro explicare formulas quasdam, ut aiunt, technicas, quae huius disciplinae [theologicae] imperitis obscurae esse consueverunt» *(Allocutio* ad Patres Ord. Praed. in Capitulo Generali adunatos, habita die 22 septembris 1946. AAS. ibid., 388).

Quarto, errant denique per excessum qui existimant corpus doctrinale S. Thomae esse systema omnino clausum et omnimoda perfectione ditatum, ita ut neque quoad rem neque quoad verba quibus exponitur possit amplius expoliri.

Hoc enim neque humanum est, quia omnimodam et absolutam perfectionem in operibus suis humana conditio non fert (1); neque secundum modum sese gerendi ipsius Thomae, qui semper et continuo doctrinas suas et verba, quibus eas exponebat, perpoliebat, elimabat, complebat, ut videre est in autographis eius quae ad nos usque pervenerunt, puta *Summae contra Gentiles*, Commentarii *in librum Boethii De Trinitate*, Opusculi *De rationibus fidei* (2); neque se-

(1) «Ad naturam cuiuslibet hominis pertinere videtur ut ea, quae bene continent descriptionem alicuius rei, perducat de imperfecto ad perfectum particulatim disponendo: primo scilicet unam partem, et postea aliam investigando. Ad hominis enim naturam pertinet ratione uti ad veritatis cognitionem: rationis autem proprium est non statim apprehendere veritatem; et ideo *ad hominen pertinent paulatim in cognitione veritatis proficere...*

Si enim aliquis tempore praecedente det operam investigandae veritati, iuvatur ex tempore ad veritatem inveniendam, *et quantum ad unum et eumdem hominem* quí postea videbit quod prius non viderat, *et etiam quantum ad diversos*, utpote cum aliquis intuetur ea quae sunt a praedecessoribus inventa, et aliquid superaddit.

Et per hunc modum facta sunt additamenta in artibus, quarum a principio aliquid modicum fuit adinventum, et postmodum per diversos paulatim profecit in magna quantitate, quia *ad quemlibet pertinet superaddere id quod deficit in consideratione praedecessorum» (In I Ethicorum*, lect. 11, núms. 132-133).

(2) Germana philosophia S. Thomae est «*abierta a todos los*

cundum mentem ipsius Ecclesiae approbantis et commendantis doctrinam eius.

Beatus namque Pius X, vestigia sequens Leonis XIII, postquam Thomae doctrinam summis laudibus cumulavit, eamque sequendam et propagandam praecepit, statim subnectit: «haudquaquam tamen Pontifex [Leo XIII] *bonas scientiae accessiones*, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit, quin immo ratus clericos non posse digne suum tenere locum nisi apparatiore quodam doctrinae commeatu instruerentur, idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis *incrementis* ornatam voluit».

Ipse vero Pius vehementer laudat eos qui laborant in «Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex principiis ipsius *nova investigando*, vel eiusdem trutina pensando recentiorum placita philosophorum», eisque libenter gratulatur «quod *germanas* philosophiae *progressiones* non mediocriter adiuvent» (Motu proprio *In praecipuis laudibus* ad Academiam Romanam S. Thomae, die 23 ianuarii 1904, apud Berthier, op. cit. 272).

Sacra autem studiorum Congregatio, decretum pianum de habenda Summa Theologica S. Thomae

horizontes de la verdad, en el fondo tan platónica como aristotélica, al propio tiempo que no es ni la una ni la otra, sino la filosofía eminentemente cristiana que recoge en un solo haz cuantos rayos de verdad encuentra dispersos en los filósofos paganos y en los Doctores del Cristianismo» (Norbertus del Prado, O. P. *El P. Ceferino*, apud «Diálogos entre un filósofo y un teólogo sobre la cuestión *de essentia et esse* y varios artículos sobre distintas materias», p. 185. Vergara. 1915).

tamquam praelectionum textu in Universitatibus, magnis Lycaeis, Collegiis, Seminariis et Institutis quae gradus academicos et lauream in Sacra Theologia conferendi potestate gaudent, sic interpretata est ut, «*una cum aliquo textu qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat,* habeatur prae manibus et explicetur Summa Theologica quoad partem scholasticam» (Die 7 martii 1916. AAS. 8 [1916] 157). Nimirum existimavit vel hoc summum Aquinatis Opus adiutorio et complemento alterius operis ordinem quaestionum indicantis et partem positivam continentis, egere.

Pius etiam XII, post commendationem doctrinae S. Thomae, in memoriam quoque revocato praecepto Codicis Iuris Canonici hac de re (Can. 1366 § 2), illico subiungit: «minime nunc sermo est de illis doctrinarum ad *physica* seu ad rerum naturam attinentium opinationibus et formulis quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant aut de illarum consectariis, quatenus quidem *opiniones illas nostra aetate reperta et inventa humanarum disciplinarum exsuperarunt et praetergressa sunt;* **quibus repertis et inventis Ecclesia favet, nedum adversetur, ea provehit, nedum metuat**». (*Allocutio* Ad Patres Ord. Praed. in Capitulo Generali Adunatos, habita die 22 septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387).

Et ad rem *theologicam* veniens, haec eis commendabat: «adsidua manu versate codices ubi religionis instituta, leges, historia continentur; **quae vero nova ferunt tempora sagaci indagatione perpendite et in scientiae sacrae usum convertite**» (ibid., 388).

ART. 3. Iusta mediaque via tenenda.

Reiectis igitur huiusmodi extremis et ad invicem oppositis interpretationibus, vera et iusta interpretatio valoris auctoritatis doctrinalis S. Thomae atque obligationis eam suscipiendi stat in medio inter duas illas extremas aestimationes.

Methodus, principia et synthesis doctrinalis philosophico-theologica S. Thomae sancte sunt ab omnibus tenenda et inviolabiliter servanda (CIC. can. 1366, § 2; Constitutio *Deus scientiarum Dominus*, art. 29; Pius XII, *Sermo* ad alumnos Seminariorum.. qui in Alma Urbe ad sacerdotium efformantur, habitus die 24 maii 1939. AAS. 31 [1939] 246; *Allocutio* ad Patres Ord. Praed. in Capitulo Generali adunatos habita die septembris 1946. AAS. 38 [1946] 387-388; Encyclica *Humani generis,* data die 12 augusti 1950. AAS. 42 [1950] 537), *ita tamen ut simul ex posterius riteque acquisitis veritatibus locupletetur, ex criticis et historicis investigationibus illustretur, ex applicatione ad nova problemata solvenda quae in dies excitantur dilatetur, servata insuper legitima libertate in exploranda germana eius doctrina ubi bonae notae interpretes ipsius non conveniunt, itemque honesta aemulatione in porro ducendis investigationibus veri nominis scientiae, non fucatae vel meram eius speciem praeseferentis.*

Doctrina enim Aquinatis adeo firma et robusta est in seipsa, ut discussionem eius et aemulationem cum aliis non timeat neque vitet, quin potius eas excitat ac tuto dirigit in conquirenda veritate. Nec enim Thomas proponitur imitandus et consectandus ut asseclae eius

et discipuli dormiant et requiescant, vel certe pigrescant, sed ut, laborem eius atque industriam aemulantes, totos suos nervos impendant et superimpendant in veritate conquirenda et dilatanda, iuxta illud eiusdem Thomae: «oportet quod homo *ex omnibus quae in ipso sunt, quantum potest, ad divina innitatur*, ut intellectus contemplationi et ratio inquisitioni rerum vacet» (Comment. *in libum Boethii De Trinitate*, q. 2, a. 10). Et iterum: «humana mens *debet semper moveri* ad cognoscendum de Deo *plus et plus* secundum modum suum» id est secundum totum suum posse (ibid. ad 7).

«Utique — ait Leo XIII — videntur hodie nimis multi ponere ingenii laudem in fastidio antiquitatis: sed *omnino illa est philosophandi ratio optima, exquirere meditando nova unaque simul sapientiam veterum non relinquere» (Epistula* ab bibliopolam L. Vives, data die 10 decembris 1889, apud Berthier op. cit. 237). atque «edicimus *libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum*» (Encyclica *Aeterni Patris*, data die 4 augusti 1879. *Acta*, ed. cit. I 72. Cf. etiam verba eius praeclara, quae supra retulimus, p. 87-88).

«Scilicet — prosequitur Pius XI — inter amatores S. Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, *honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur, intercedere*, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. *Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in Codice Iuris Canonici* **praecipitur** ut «philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Docteris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant», *atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum.* **At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia:** *neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur»* (Encyclica *Studiorum Ducem*, data die 29 iunii 1923. AAS. 15 1923] 323-324).

Haec famosa istius Pontificis verba, quibus nonnulli frequenter utuntur, ac fortasse aliquando abutuntur, sane sunt intelligenda, atque interpretanda veniunt ex aliis posterioribus verbis eiusdem Pontificis, quin immo et successoris eius Pii XII: nam penes Romanos Pontifices ius est et potestas nedum proprias leges, sed et decessorum suorum, aliasve in Ecclesia statutas, authentice interpretari.

Porro manifestum est Pium XI auctoritatem doctrinalem aliorum scriptorum ecclesiasticorum non coaequasse auctoritati S. Thomae, nedum in rebus certis atque exploratis, sed neque in rebus controversis et disputatis. Utrobique ac semper eminet auctoritas Aquinatis, licet in rebus dubiis et controversis non imponatur vi sua interna ex pondere argumentorum suorum, neque ab Ecclesia, ut consequens et rationabile est, exquiratur assensus.

Supra (p. 57-62, 99-102) retulimus plura eius verba post Encyclicam illam scripta vel prolata, quibus de novo instaurat obligationem sequendi Thomam in re philosophica et theologica, ita ut Aquinatis doctrina non trahatur ad aliorum placita, sed potius aliorum doctrinae ad rationem, principia et doctrinam eius exigantur (Litterae Apostolicae *Officiorum omnium*, datae die 1 augusti 1922, AAS. 14 [1922] 454-456, quas recolit et confirmat in Litteris Apostolicis *Unigenitus Dei Filius*, datis die 19 martii 1924, AAS. 16 [1924] 144-145; *Allocutio* ad Professores et alumnos Instituti «Angelicum», habita die 12 decembris 1924, apud Xenia thomistica», III, 599-600).

Laudat insuper atque honestat plurimum Card. Mercier ob eius opera philosophica, in quibus ostendit «quantum valeret philosophia perennis, non modo ad coniungendum cum veterum sapientia quidquid est laudabiliter clarorum hominum industria ingenioque *nuper inventum*, sed etiam ad errores omne genus refellendos qui tam acriter in praesens rectae rationi doctrinaeque Ecclesiae adversantur». Maxime vero ac nominatim Ontologiam eius recolit et extollit, «quandoquidem — ei dicit — *ea ibi metaphysicae S. Thomae principia illustrando tueris*, **a quibus recedere, etiam in re minima, non sine magno detrimento esse opportune monuit decessor noster fel. sec. Pius X**» *(Epistula* data die 26 martii 1924. AAS. 16 [1924] 227). *Ea ergo verba B. Pii X approbat suaque facit.*

Cum autem, ipsamet Ecclesia teste, viginti quatuor theses thomisticae contineant revera principia et pronuntiata maiora S. Thomae in re metaphysica, plane

sequitur vel minimum ab eis recedere non sine magno detrimento esse.

Praesertim vero, data opera, interpretationem authenticam illorum verborum dedit Pius XII, qui libertatem illam **intra doctrinam S. Thomae** eiusque discipulatum agnoscit, quando scilicet interpretes bonae notae Aquinatis inter se dissident aut disputant, non autem contra doctrinam eius certam atque genuinam.

En eius praeclara verba: «quopropter, dilectissimi filii, *animum afferte plenum amoris et studii erga S. Thomam; totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis*: **quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini** (1).

«**Haec «praecepta»** *a decessoribus nostris iam pridem data,* **nostrarum partium ducimus in praesenti recolere et, si alicubi desiderantur, ex integro instaurare; simulque eorumdem decessorum nostrorum «monita», nostra facimus, quibus veri nominis in scientia progressum et legitimam in studiis libertatem tueri voluerunt.** Probamus

(1) Porro Sacrae Studiorum Congregationis iudicio, a B. Pio X et a Benedicto XV approbato, **viginti quatuor theses thomisticae** *manifesto* pertinent ad doctrinam S. Thomae, et quidem *in ea ut praecipuum tuta ratione habetur:* «respondit [Sacra Congregatio] eas **plane** *continere S. Doctoris* **principia et pronuntiata maiora**» (Die 27 iulii 1914. AAS. 6 [1914] 383); respondit insuper quod «*omnes* illae viginti quatuor theses philosophicae **germanam** *S. Thomae doctrinam exprimunt,* **eaeque** *proponantur* **veluti tutae normae directivae**» (Die 7 martii 1916. AAS. 8 [1916] 157).

prorsus ac commendamus *novis* disciplinarum *inventis* antiquam sapientiam, ubi opus sit, *aequari; ea, de quibus* **bonae notae Angelici Doctoris interpretes disputare solent,** *libere agitari;* **nova** *vero subsidia ex historia depromta* **in textibus Aquinatis plenius intelligendis** *adhiberi.* Neque ullus privatus «se in Ecclesia pro magistro gerat» (Benedictus XV, Encyclica *Ad beatissimi*, data 1 novembris 1914. AAS. 6 [1914] 576); nec «quid eo amplius alii ab aliis exigant quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia» (Pius XI, Encyclica *Studiorum Ducem*, data die 29 iunii 1923. AAS. 15 [1923] 324); neque denique vana dissidia foveantur.

«Quae omnia si, ut confidimus, praestabuntur, copiosa exspectanda erunt disciplinarum emolumenta. *Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S. Thomae non supprimitur, sed* **excitatur potius ac tuto dirigitur»** *(Sermo* ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in Alma Urbe ad Sacerdotium efformantur, habitus die 24 iunii 1939. AAS. 38 [1939] 246-247).

Nec praetereundum hisce ipsis verbis Thomam Ecclesiae quodammodo aequatum fuisse: nam, recolens Encyclicas suas Litteras *Humani generis*, excultis viris Romam convenientibus ad tertium congressum internationalem thomisticum edixit: «*hae* [Litterae scilicet] *vobis disputantibus et edisserentibus* **tutum iter innuerunt, praelucenti veluti radiantissimo Sole S. Thomae Aquinatis doctrina»** *(Allocutio* habita die 17 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 734). Nimirum aemulatio in veritate quaerenda et propaganda

per studium, per disputationes, per dissertationes, non supprimitur, sed *excitatur potius ac tuto dirigitur per commendationem doctrinae S. Thomae, sicut et per Litteras Encyclicas Romani Pontificis.*

Monet insuper quod, licet verum sit «generatim Pontifices theologis libertatem concedere in his quae inter melioris notae doctores vario sensu disputantur; at *historia docet plura, quae prius liberae disceptationi subiecta fuerint, postea nullam iam disceptationem pati posse»* (Encyclica *Humani generis*, data die 12 augusti 1950. AAS. 42 [1950] 568). Ita hodie, post tot Ecclesiae approbationes et commendationes et praecepta, *nemini catholicorum liberum est denegare* **singularem auctoritatem doctrinalem S. Thomae,** *cuius doctrinam philosophico-theologicam* **ceteris omnibus quae circumferuntur nedum extra, sed et intra ipsam Ecclesiam, praefert, ac prae ceteris commendat:** «*giustamente favorita dalla Chiesa*» *(Littera* Adhaesionis Pontificii Athenaei lateranensis de Urbe ad Romanum Pontificem ob eius Encyclicam *Humani generis*, die 9 novembris 1950, apud «L'Osservatore Romano» 90 [1950], n.º 271, 19 novembris 1950, p. 1, col. 5).

Angelicum etenim Deus in Ecclesia suscitavit «*ut eam saluberrima et firmissima communiret doctrina et Solis instar illustraret; cuius Sapientiam omnibus* **praecipue** *commendatam totus admiratur orbis terrarum»* (Pius XII in *Praefatione Missae* S. Thomae Aquinatis juxta ritum Ord. Praed., quam ipsemet Pontifex composuit).

Revera «inter scholasticos Doctores, omnium prin-

ceps et magister *longe eminet Thomas Aquinas»* (Leo XIII, Encyclica *Aeterni Patris. Acta*, ed. cit. I, 62), cuius doctrina *non solum est ceteris multo sanior et securior, sed etiam Magisterio Ecclesiae conformior* (ibid. 70), et ideo *eius prae ceteris soliditatem atque excellentiam debent Magistri scholarum Catholicarum in perspicuo ponere* (ibid. 74).

Iudicio Ecclesiae, «Thomam *sequi* auctorem, *laus est»* (Leo XIII, Epistula ad R. D. Haine, data die 8 augusti 1899, apud Berthier, op. cit., 264); *ab eo temere et inconsulto discedere, res est plena periculis* (Idem. *Epistula* ad Ministrum Generalem Ord. Minorum, data die 25 novembris 1898, ibid.); *Aquinatem vel minimum deserere in re philosophica praesertim et theologica, non est sine magno detrimento* (B. Pius X, Motu proprio *Praeclara*, die 24 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 335; Motu proprio *Doctoris Angelici*, die 29 iunii 1914. ibid. 338; Pius XI, *Epistula* ad Card. Mercier, die 26 martii 1924. AAS. 16 [1924] 227); **ab eius autem disciplina ne latum quidem unguem discedere, summa laus est** (Benedictus XV, *Epistula* ad R. P. L. Theissling, die 29 octobris 1916. AAS. 8 [1916] 397; Pius XI Encyclica *Studiorum Ducem*, die 29 iunii 1923. AAS. 15 [1923] 324 [1] **et securitas absque ullo aberrandi periculo a christianae veritatis regula** (B. Pius X, *Epistula* ad R. P. R. Velázquez, die 7 martii 1909. AAS. 1 [1909] 275; Motu proprio *Praeclara*, die 24 iunii 1914. AAS. 6 [1914] 334).

(1) «Atque huic Ordini [Praedicatorum] laudi dandum est non tam quod Angelicum Doctorem aluerit quam quod numquam postea, ne latum quidem unguem, ab eius disciplina discesserit» (Benedictus XV, *Epistula* citata. AAS. 8 [1916] 397).

Nimirum, aegre permittit ac tolerat vel minimum recessum ab Aquinate; urget vero et laudat vehementer eius sequelam et fidelitatem vel in minimis.

Ideo Sacer Ordo Praedicatorum, cuius est Thomae doctrinam ceu thesaurum pretiosissimum sancte atque inviolabiliter servare *(Acta* Capituli Generalis Romae celebrati a die 21 ad diem 30 septembris 1946, n.° 68. Romae. 1946, p. 57), summam hanc fidelitatem una cum honesta aemulatione ac libertate in veritate quaerenda et dilatanda pro lege sibi constituit: «exemplum igitur tanti Doctoris aemulantes, eoque tamquam solida rupe innixi, curent Professores et Scriptores nostri dociliter ac reverenter sequi vestigia traditionis doctrinalis Ecclesiae et Ordinis nostri; quod sane minime impedit quominus *legitima cum libertate scientifica* quaestiones occurrentes, seu antiquas, seu novas, aequa lance investigent, diiudicent, resolvant, *undique accitis omnibus instrumentis aptis atque probatis* ad veritatem, quae ex Deo est, securius inveniendam, uberius capessendam, fructuosius dilatandam, memores adhortationis Smi. Domini Nostri Pii Papae XII ad Patres vocales Capituli praeccedentis: «quae vero nova ferunt tempora, sagaci indagatione perpendite, et in scientiae sacrae usum convertite». «Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S. Thomae non supprimitur, sed excitatur ac tuto dirigitur» *(Acta* Capituli Generalis Washingtonii celebrati a die 28 ad diem 24 septembris celebrato 1949, n.° 59. Romae, 1950, p. 53-54).

Hac tamen libertate, maxime cum de rebus noviter discutiendis vel assimilandis agitur, oportet caute ac prudenter uti, ne falsa pro veris, neu fucata species pro re ipsa accipiantur. Ut enim docet Pius XII, Professores philosophiae ac theologiae tradendae in Scholis Catholicis «in quaestiones *novas*, quas hodierna cultura et progrediens aetas in medium protulerunt, *diligentissimam* suam conferant *pervestigationem, sed ea qua par est prudentia et cautela*»: neque, falso cuidam irenismo indulgentes, putent «ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi *integra* veritas in Ecclesia vigens, *absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus* tradatur» (Encyclica *Humani Generis,* AAS. 42 [1950] 578. Cf. etiam ibid., 564-565; *Instructio* Congregationis S. Officii ad locorum ordinarios de motione oecumenica, die 20 decembris 1949. AAS. 42 [1950] 142-147).

Dolet autem vehementer Summus Pontifex nonnullos plus aequo novitatibus indulgere nondum sufficienter exploratis et confirmatis; et quidem aliquando hac ratione ducti, «ne earum rerum quas progredientis aetatis scientia invexerit, ignari habeantur» (ibid., 564), nimirum *ut sapientes et moderni videantur.* Et quod gravius est, tale novarum rerum studium atque prurigo secerdotes afficere solet «ut plurimum sive eruditione atque doctrina sive vitae severitate *minus quam ceteri praeditos.*

«*Per se novitas neutiquam est veritatis indicium. Atque una ea conditione laudanda, ut simul veritatem confirmet, simul probitati ac virtuti conducat.* Hac quae volvitur aetate graviter quidem itinere deerratum est: est siquidem dolendum plura philosophorum genera internasci, eademque, hominum moribus nullo modo emendatis, dilabi» (*Adhortatio* Apostolica ad clerum universum, die 23 septembris 1950. AAS. 42 [1950] 694).

Similiter «plura dicta sunt, at non satis explorata ratione, de «nova theologia», quae cum universis semper volventibus rebus una volvatur, *semper itura, numquam perventura.* Si talis opinio amplectenda esse videatur, quid fiet de numquam immutandis catholicis dogmatibus, quid de fidei unitate et stabilitate?

«Dum igitur inocciduam Veritatem vereri sanctum sollemneque habetis, operam date problemata, quae labens fert tempus, studiose investigare et exsolvere, praesertim si ea eruditis christifidelibus obstacula et difficultates progignere possint; quin etiam eadem illustrando, in auxilium convertentes impedimentum, illorum fidem inde confirmate.

«Verumtamen, cum novae vel liberae agitantur quaestiones, catholicae doctrinae principia semper mentibus praefulgeant: *quod in re theologica omnino novum sonat, evigilanti cautione perpendatur; certum firmumque ab eo quod coniectura ducitur, ab eo quod labilis nec semper laudabilis mos etiam in theologiam et philosophiam introducere et invehere potest, secernatur;* errantibus amica praebeatur manus, nihil autem indulgeatur opinionum erroribus» (*Allocutio* ad Patres Societatis Jesu in Congregatione Generali coadunatos, habita die 17 septembris 1946. AAS: 38 [1946] 385).

Inter ea quae ut nova fuerunt proposita nostris his-

ce diebus, numeranda veniunt denegatio, aut certe dubitatio, possibilitatis naturalis humanae rationis, absque divinae revelationis divinaeque gratiae auxilio, demostrandi exsistentiam Dei personalis, argumentis ex rebus creatis deductis; negatio mundum habuisse initium; affirmatio creationem mundi necessariam fuisse, eo quod ex necessaria liberalitate divini amoris procedat; denegatio divinae praescientiae aeternae et infallibilis liberarum actionum humanarum; denegatio transmissionis peccati originalis ab uno Adamo in ceteros omnes homines per naturalem generationem ex eo descendentes, una excepta beatissima Virgine Maria ex speciali Dei privilegio, ob assertam atque admissam theoriam polygenismi; perversio doctrinae catholicae de notione peccati prout est offensa Dei, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae; corruptio doctrinae pariter catholicae de gratuitate elevationis humanae naturae ad ordinem supernaturalem, ac si Deus condere non posset entia intellectu praedita quin ea ad visionem beatificans ordinet ac vocet; negatio transsubstantiationis et praesentiae realis Christi in Eucharistiae Sacramento, ac si ad purum putumque symbolismum reduci deberent; seria et positiva dubitatio an Angeli sint creaturae personales, numque materia a spiritu essentialiter differat; acceptio, absque ullo delectu, doctrinae philosophicae existentialismi et evolutionismi; et alia plura ad rem exegeticam pertinentia.

Quae omnia Pius XII Encyclicis Litteris *Humani generis* aliisque recentissimis documentis profligavit, et a scholis catholicis arcenda decrevit (Encyclica *Humani generis*, AAS. 42 [1950] 568-571, 573-574, 576-578; *Adhortatio* Apostolica ad clerum universum, die

23 septembris 1950 ibid., 688; *Oratio* ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos ceterosque locorum ordinarios Romae coadunatos ob sollemnem dogmaticam definitionem corporeae in caelum Assumptionis B. Mariae V., habita die 2 novembris 1950, ibid., 791; *Allocutio* ad delegatos Conventui generali ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque saecularibus, habita die 8 decembris 1950. AAS. 43 [1950] 32, 34).

Sunt qui huiusmodi mediam iustamque viam sequendi S. Thomam ita efferunt: *quae Angelicus sua egit aetate, nostrisque ageret temporibus si nunc viveret in terris, ea ipsa discipuli eius, thomistae moderni, agere debent.*

Effatum hoc, dummodo sane intelligatur, verum est. Si vero hoc in sensu sumatur, *ut plerumque accipi solet*, quod Thomas in servitium Theologiae assumpsit philosophiam sui temporis, nimirum peripateticam, ac proin quod, *si nunc apud nos degeret, philosophias assumeret quae nostris diebus circumferuntur, puta idealisticam, immanentisticam, agnosticam, materialisticam vel existentialisticam*, **omnino falsum pronuntiatur.**

Non enim assumpsit philosophiam aristoteleam ut iacebat, neque ut per commentatores eius graecos, iudaeos et arabos traducebatur, sed ut depuratam, perpolitam, digestam et plurimum locupletatam per philosophos christianos, specialiter per magistrum eius S. Albertum Magnum, et maxime per seipsum. Qua

in re multum ipse laboravit, ac plurimas passus est calumnias. Nam suo etiam tempore et in eadem parisiensi Universitate erant nonnulli, nempe sic dicti averroistae, qui sine delectu et absque prudenti cautela suscipiebant aliquas philosophicas doctrinas ex ipso Aristotele vel ex eius expositoribus provenientes, quae tamen veritatibus divinitus traditis repugnabant: hi enim negabant immortalitatem personalem animae humanae, vel saltem doctrinam adstruebant de intellectu agente omnino incompatibilem cum immortalitate personali animae.

Ad quos directe alludit S. Doctor in sermone quodam sat probabiliter pronuntiato mense iulio 1270 coram Universitate parisiensi, ubi haec fidenter dixit: «inveniuntur aliqui qui student in philosophia, et dicunt aliqua quae non sunt vera secundum fidem; et cum dicitur eis quod hoc *repugnat fidei*, dicunt quod Philosophus [= Aristoteles] dicit hoc, sed *ipsi non asserunt, imo solum recitant verba Philosophi*. Talis est falsus propheta sive *falsus doctor;* quia *idem est dubitationem movere et eam non solvere quod eam concedere:* quod signatur in Exodo (21, 33-34), ubi dicitur quod, si quis foderit puteum et aperuerit cisternam et non cooperuerit eam, et veniat bos vicini sui et cadat in cisternam, ille qui aperuerit cisternam teneatur ad eius restitutionem. Ille cisternam *aperuit, qui dubitationem movet de his quae faciunt ad fidem:* cisternam *non cooperit, qui dubitationem non solvit,* etsi habeat intellectum sanum et limpidum, et non decipiatur. *Alter tamen, qui intellectum non habet ita limpidum, bene decipitur;* et ille qui dubitationem movit

tenetur ad restitutionem, quia per eum ille cecidit in foveam.

«Videte, tam multi fuerunt philosophi, et multa dixerunt de his quae pertinent ad fidem, et vix invenietis duos concordare in unam sententiam; et quicumque aliquid veritatis dixit, non dixit eam sine admixtione falsitatis. Plus scit modo una vetula de his quae ad fidem pertinent quam quondam omnes philosophi.

«Legitur quod Pythagoras primo fuit pugil; audivit magistrum disputantem de inmortalitate animae, et asserentem quod anima esset inmortalis: et in tantum allectus est, quod dimissis omnibus dedit se studio Philosophiae. Sed quae vetula est hodie, quae non sciat quod anima est immortalis? *Multo plus potest fides quam philosophia. Unde, si philosophia contrariatur fidei, non est accipienda*» (ed. P. Uccelli, S. Thomae Aquinatis et S. Bonaventurae Balneoregiensis *semones anecdoti*, p. 71, Mutinae, 1879).

Ideo Leo XIII, admirabundus tanti laboris et operis S. Thomae, scribit: «*hoc ipsum numeratur inter summa beneficia quae magno Aquinati debet Ecclesia,* quod christianam theologiam cum peripatetica philosophia iam tum dominante tam belle sociaverit, ut *Aristotelem Christo militantem, iam non adversarium habeamus*» (Breve *Gravissime nos,* datum die 30 decembris 1892, apud Berthier op. cit, 247).

Hac tamen depuratione et elevatione simul iuncta cum multiplici accessione ex neoplatonicis et S. Augustino et arabibus, ac *praesertim ex propia industria et labore,* quibus omnia illa fragmenta veritatis in

unum corpus coadunavit et ad altiorem perfectioremque synthesim reduxit, *philosophia peripatetica est reapse in aliam commutata, servata tamen eius ratione sive methodo philosophandi.* Revera, ut ait Martinus Grabmann, «opus saeculare et aere perennius, quod exegit Aquinas, est synthesis inter Augustinum et Aristotelem» (De quaestione «Utrum aliquid possit esse simul creditum et scitum» inter scholas augustinismi et aristotelico-thomismi medii aevi agitata, apud *Acta hebdomadae augustinianae-thomisticae*, 139, Romae, 1931), utrumque tamen longe superans, et constituens simul unoque ictu synthesim quamdam doctrinalem superiorem plene philosophicam pleneque christianam: «une philosophie chrétienne au sens plein du mot, sans cesser d'être une philosophie au sens plein du mot» ut verbis utar Stephani Gilson *(L'idée de Philosophie chez Saint Augustin et chez Saint Thomas*, apud eadem *Acta*, 84).

Potius ergo quam philosophiam hanc vel illam, puta peripateticam vel academicam, stoicam vel arabicam, assumpsit in usum theologiae et fidei servitium veritates ordinis naturalis ab humana ratione continuo ac saeculari labore atque nisu conquisitas, quae *philosophiam perennem sive* **philosophiam sensus communis,** ut eam appellat Benedictus XV *(Epistula* ad Card. Schulte, data díe 29 iunii 1921. AAS. 13 [1921] 423), constituunt, idest **Philosophiam** *sine addito* (Cf. supra, p. 14-20).

Minime autem assumeret, sed penitus respueret ut falsas philosophias plures quae hodie circumferuntur, puta philosophiam vitalisticam vel existentialisticam, idealisticam vel immanentisticam, materialisti-

cam vel agnosticam, utpote incompatibiles cum veritatibus fidei et contrarias rectae rationi. «Expurgatio enim —ait R. Schultes— possibilis erat in philosophia aristotelica, cuius errores sunt accidentales, et ex ipsis principiis fundamentalibus Aristotelis corrigi poterant; errores autem quae in philosophia moderna exsistunt, sunt maxime fundamentales, adeo ut illa corrigi nequeat, sed simpliciter relinquenda et expugnanda sit» *(De Ecclesia Catholica*, 726. Parisiis, 1925).

«On dit parfois —addit R. Garrigou-Lagrange— qu' il faudrait baptisser les systèmes philosophiques modernes, comme Saint Thomas a baptisé l' aristotelisme. Mais pour cela, il faudrait *deux choses*. Il fondrait d'abord avoir *le génie de Saint Thomas*, et il faudrait ensuite que los systèmes philosophiques modernes soient *baptizables*. Il faut avoir une âme pour être baptisable. Un système qui repose tout entier sur un principe faux ne peut pas être baptisé *(La structure de l' Encyclique «Humani generis»*, apud «Angelicum», 28 [1951] 9-10. Cf. etiam A. Perego, S. J., *La Nuova Teologia*. Sguardo d'insieme alla luce dell'Enciclica «Humani generis», apud «Divus Thomas Pl.», 53 [1950] 442-443).

Si vero intelligatur modus sese gerendi erga philosophos sui temporis, et quo se gereret erga philosophos hodiernos, si apud nos viveret, verum profertur illo effato. Caute enim ac prudentissime se gessit erga philosophos sui temporis aetatumque praeteritarum, eos quidem maxima cum humanitate pertractans, simul tamen accuratissime secernens

verum a falso in eorum scriptis, ut verum sibi assumeret, reiecto falso.

Qua in re nullo modo ipse respiciebat personas, sed res — erat enim veritatis unice amator et cultor —; neque fama vel fortuna sive *actualitate*, ut hodie malunt dicere, movebatur et afficiebatur, sed tranquillo et pacato animo omnia perpendebat et ex alto principiorum aeternorum iudicabat, adhibita semper cautione legendi libros spirituales, ne ex philosophorum frequentatione devotionem amitteret (Cf. Comment. eius *in I de Anima*, lect. 2 n.° 30; *in II Metaph.*, lect. 1, nis. 287-288; *in III Metaph.*, lect. 1, n.° 342; *in XII Metaph.*, lect. 9, n.° 2566; *in I Ethic.*, lect. 11, nis. 132-133; *in II Ethic.*, lect. 1, n.° 246; *in Psalm.* 43, n.° 1; *De Verit*, 16, a. 2c. Guill. de Tocco, *Vita S. Thomae*, cap. 21).

Jam vero Aristoteles et philosophi sui temporis iudaei, arabes, latini, multo minus periculosi erant quam philosophi moderni, quippe qui omnes illi prima et fundamentalia principia sanae perennisque philosophiae admittebant, dum ea plerique modernorum respuunt.

Multo ergo cautius ac prudentius se gereret cum hodiernis philosophis, si apud nos viveret. Quae nova ferunt tempora sagacissime indagaret ac perpenderet: explorata atque probata incunctanter assumeret; ex ceteris occasionem acciperet profundius investigandi et cautius procedendi; ex omnibus et semper incitamentum sumeret ad altiora atque meliora conscendendi (1). Nec dubium quin monita et cautelas, quas

(1) Ut enim ipse scribit, «homines se ad invicem iuvant ad

cum novis doctrinis aperte vel fucate propositis servandas edixit Pius XII, ex amussim ipse servaret.

Vera ergo sequela S. Thomae, iuxta rei veritatem et commendationem Ecclesiae, in eo consistit ut ratio, doctrina et principia eius tam in re philosophica quam theologica sancte et inviolabiliter teneantur, unaque simul qualitates eius scientificae, seu intellectuales, seu morales, imitentur, excolantur et pro virili in vita dis-

considerandum veritatem. Adiuvatur enim unus ab altero ad considerationem veritatis dupliciter: uno modo directe; alio modo indirecte. *Directe* quidem iuvatur *ab his qui veritatem invenerunt*, quia..., dum unusquisque praecedentium aliquid de veritate invenit, simul in unum collectum, posteriores introducit in magnam veritatis cognitionem. *Indirecte* vero, in quantum priores *errantes* circa veritatem, *posterioribus exercitii occasionem dederunt, ut* **diligenti discussione habita,** *veritas limpidius appareat.*

Est autem iustum ut his quibus adiuti sumus in tanto bono, scilicet cognitione veritatis, *gratias agamus...*: non solum his, quos existimat veritatem invenisse, quorum opinionibus aliquis communicat sequendo eas; sed *etiam illis, qui superficialiter locuti sunt ad veritatem investigandam, licet eorum opiniones non sequamur,* **quia isti etiam aliquid conferunt nobis.** Praestiterunt enim nobis quoddam *exercitium circa inquisitionem veritatis*» (*In II Metaph.* lect. 1, ns. 287 288. Cf. etiam ibid., n.° 276; *in XII Metaph.*, lect. 9, n.° 2566; *in I de Anima*, lect. 2, n.° 30).

Et alio in loco: «auditus necessarius est ad Sapientiam [ut dicitur] Eccli. 6.34: *si dilexeris audire, sapiens eris;* et etiam est necessarius sapienti [secundum illud] Prov. 1, 5: *audiens sapiens sapientior erit.* Similiter cuilibet est necessarius, quia *nullus est sufficiens ad excogitanda omnia quae ad Sapientiam pertinent; et ideo nullus ita sapiens est quin instruatur ab alio*: quia, si audit *bona*, iuvatur *recipiendo;* si audit *mala*, iuvatur cognoscendo *meliora*» (*In Psalm, 43*, n.° 1. *Opera*, ed. Vives, t. XVIII, pp. 495-496).

cipulorum ipsius exprimantur, ita ut in eis Thomas ipse integer, maxime vero secundum spiritum, vivere pergat.

Disciplina eius non est dura neque tyrannica, sed suavis et humana, simulque prudens ac firma. Tanta enim cum modestia, honestate ac simplicitate suas proponit doctrinas, ut lectores demulceat sibique devinciat: tantum servat ordinem expositionis cum brevitate, tantamque claritudinem effudit maxima cum profunditate conceptuum et proprietate sermonis, ut sincerum animum plene convincat. Frequens cum eo communicatio nullum generat fastidium, quin potius novam iugiter sui admirationem provocat, novum desiderium, novasque cum eo moras protrahendi (1). Securitatem animi generat et gaudium in veritate adinventa, unaque simul vires excitat ac tuto dirigit ad novas veritates libero et audaci animo exquirendas. «Mentibus, ut ait Leo XIII, non modo vim affert nullam, sed immo pabulum exhibet incorruptum et salutare» (Breve *Gravissime nos*, die 10 decembris 1892, apud Berthier, op. cit. 246).

Jure igitur, ex summo valore intrinseco doctrinae S. Thomae et ex specialissima ecclesiae approbatione

(1) «Il y a des livres qui sont claires à première lecture, mais qui deviennent de plus en plus obscures à mesure que l'on y réfléchit davantage; il y en a d'autres qui sont obscures a première lecture et qui deviennent de plus en plus clairs à mesure que l'on y réfléchit davantage; ceux des grandes philosophes, et de saint Thomas en particulier, sont de ce nombre» (Ét. Gilson, *Saint Thomas d'Aquin* (Collect. «Les Moralistes Chretiens»), p. 16. París, Gabalda, 1930).

et commendatione, concludere possumus cum J. de Guibert, S. J.: «eo ipso quo quis doctrinam S. Thomae amplectitur, *amplectitur doctrinam communissime in Ecclesia receptam, tutam et ab Ecclesia approbatam...*; ubi non obstat gravis ratio, satis est auctoritas S. Thomae ut aliqua sententia praeferenda iure habeatur» *(De Ecclesia Christi*, 326. Romae, 1928). Quod quidem non tantummodo valet in re theologica, de qua ipse tantum loquebatur, sed et in re philosophica; utriusque enim est simul una vis unaque approbatio, iuxta illud Benedicti XV: «*praeclara de Thoma Aquinate praeconia Apostolicae Sedis* **iam neminem catholicum dubitare sinunt** *quin ideo ille sit excitatus divinitus* **ut haberet Ecclesia quem doctrinae Magistrum maxime in omne tempus sequeretur**» (*Epistula* ad R. P. Pègues, data die 5 februarii 1919. AAS. [1919] 21).

Hinc praestantissima illa verba Çardinalis Ludovici Billot, S. I., quae nemo prudens recusare potest: «inter alia multa quae me ad reverentiam Doctoris Angelici movent, unum est quod momento et pondere ceteris praestat, quodque silentio praeterire non possum. Et est perpetua, continuata, repetita de aevo in aevum ad hanc usque diem, singulari prorsus instantia eximioque studio, Sedis Apostolicae commendatio.

Res vere omni observatione digna: in Apostolica Cathedra sibi invicem succedunt Pontifices, alii post alios, origine, genere, cultura, educatione varii; omnium tamen in commendando Aquinate una invariata sententia est: a Ioanne XXII, qui Thomam ad altarium honores evexit, usque ad gloriose nunc regnantem Benedictum XV, qui, vixdum universalis Ecclesiae

tractanda gubernacula suscepisset, nihil antiquius habuit quam testificari se, hac in re, a Decessorum suorum mente minime dissentire, imo non verbis modo, sed et factis declarare.

Porro, si annales ecclesiasticos percurro, si bullarium Romanorum Pontificum lustro, si dicta, si acta, si gesta evolvo, nullum simile exemplum invenio quoad unum in individuo signatum, seu praeceptorem, seu magistrum, seu doctorem. Quae quidem singularitas vel sola me admonet, non ibi rem esse quae ad humana arbitria, ad studia partium, ad scholae contentiones, ad privatas ipsorum Pontificum seu opiniones seu aestimationes pertineat, referendaque sit, sed ad iudicium eius qui in Cathedra ad consummationem usque saeculi divinitus fundata, unus semper sedet et praesidet et vivit, unus idemque loquitur ac docet, Petrus. Petrus, inquam, nulli parti, nulli factioni, nulli Ordini, nulli scholae addictus, praecise quia in summitate apostolatus constitutus, longe longeque eminet supra omnes partium, Ordinum ac scholarum contentiones et lites; Petrus cui non caro revelat, nec sanguis, sed Pater: Petrus, filius ille columbae (hoc enim sonat, inquit Hieronymus, in nostra lingua Bar-Iona vocabulum), et ideo filius columbae, quia mystica ei columba, extensis alis, sicut videre est in abside basilicae Vaticanae, insidet, vel ad auriculam advolans, suggerit quae ad regimen universalis Ecclesiae, et praesertim ad custodiam depositi fidei (quae maxima omnium res est), convenientia media sunt: Petrus denique, qui cum munere pascendi oves et agnos, donum accepit salubria pascua internoscendi, eaque ab insalubribus discernendi: Petrus est, a quo singula-

rem illam habet Aquinas commendationem et auctoritatem» *(Oratio habita die 11 martii 1915 in Aula Magna Cancellariae Apostolicae pro instauratione Academiae S. Thomae.* «Xenia Thomistica», t. I, p. 19-20. Romae, 1925).

APPENDIX

DOCUMENTA

I

Benedictus XIV

Ex Brevi «Saluberrima» d. d. 21 augusti 1752, quo renovantur et confirmantur Statuta Collegii S. Dionysii extra civitatem Granatensem ab Archiepiscopo Petro de Castro anno 1609 fundati, de unice tradenda S. Thomae doctrina.

«...Deinde vero Statutum alterum, quod, ut invectis abusibus, alias scilicet tradendi, docendi et explicandi a doctrina sententiaque Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis, ab ipso fundatore intenta ac diu tradita et explicata, alienas opiniones sententiasque in scholis cathedrisve eiusdem Collegii Dionysiani, opportunum remedium afferretur, consultissime conditum fuit, paternae caritati Nostrae pergratum ac periucundum accidit.

Doctrinae enim sancti Thomae Aquinatis, divinae voluntatis interpretis, vitae sanctitate et miraculis clari, tantum fuit tributum ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium, sicut pie tes-

tatur historia: «Bene de me, Thoma, scripsisti!» Atque eiusdem quidem doctrinae testis est ingens librorum numerus, quos ille, brevissimo tempore, *in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit:* in quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressa Christi voce comprobatos audivit. Quandoquidem omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi ac veritate doctrinae, non solum innumerae quae vel ipsius aetate vel antea grassatae sunt, sed multae etiam quae deinceps exortae sunt, haereses, confusae et convictae dissiparentur. Eapropter, *cum tanti Doctoris opera Sole clariora, sino ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurri possint,* nos qui peculiari pietate ac veneratione eumdem Angelicum Doctorem semper prosecuti sumus, quemadmodum Romani Pontifices praedessores nostri magno etiam in honore ipsius doctrinam habentes, meritis quoque laudibus cumularunt, nostris itidem apostolicis vocibus collaudantes, Statutum eiusmodi approbamus et confirmamus, necnon apostolici praesidii munimine roboramus, ita ut *deinceps nemo ex Magistris sive Lectoribus eiusdem Collegii Dionysiani aliam doctrinam, ac praesertim in rebus theologicis, praeter unicam sancti Thomae Aquinatis doctrinam in scholis et cathedris dicti Collegii auditoribus legere, tradere et explicare unquam possit.*

Praeterea iisdem Magistris et Lectoribus in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris ecclesiasticis, Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservatis, a quibus a nemine, praeter quam in mortis articulo, absolvi quisquam valeat, *districte praecipimus et mandamus, ut omnes et singulas opiniones, in rebus praesertim theologicis, a commendatissima S. Thomae doctrina alienas legere, docere, tradere et explicare omnino abstineant.* Decernentes easdem praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari» (*Acta Capitulorum Generalium Ord. Praed.*, t. IX, p. 224-225. Romae, 1904).

II

Pius IX

Ex Epistula «Si tristissimis», d. d. 3 martii 1867, qua insignem S. Thomae reliquiam Ecclesiae S. Mariae supra Minervam de Urbe Ord. Praed. assignat.

«Si tristissimis hisce temporibus Ecclesiae reservavit nos Deus, gloriae etiam eius non semel nos testes esse voluit, ne scilicet aerumnis deiecti, remissius pro causa ipsius dimicaremus. Hos inter laetos eventus, sicuti iam anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo celebravimus decimi octavi saecularis anni, quo Princeps Apostolornm proprii sanguinis testimo-

nio traditam confirmavit Evangelii doctrinam, sic celebraturi nunc sumus sextum saecularem annum depositionis Angelici Doctoris, *sancti Thomae Aquinatis, a Divina Providentia largiti ad eandem doctrinam miro modo ilustrandam, et adversus errores omnes invicte muniendam. Siquidem is ad sublimia natus, complexusque ingenio humanum excedente modum, quidquid veteres disputaverant Philosophi, quidquid docuerant Ecclesiae Patres, supernoque lumine irradiatus ad intelligendas Scripturas, extraxit digessitque scientiae universalis corpus, ubi Theologia ad scientificam exacta methodum, luculentius latiusque explicata, ac novis aucta commendationibus principaretur; Philosophia vero suis purgata mendis, una cum ceteris scientiis ipsi spontaneo concordique famularetur obsequio, unde fieret ut fulgidissima veri ad unum revocati lux non modo singula eorum perfunderet et promoveret, sed etiam quotquot fuerunt aut futuri erant errorum tenebras discuteret, et efficacissima ad eos conterendos arma suppeditaret.* Verum, si huiusmodi ingenii doctrinaeque prodigio, pari sanctitatis gloria splendente, tota decoratur Ecclesia, eo certe potissimum exornatur Praedicatorum Familia, quae adolescentulum veluti mater excepit, eumque pietate, litteris, disciplinis sedulo excultum ad insignem provexit sanctimoniam ac scientiam» (ed. J. Berthier, *S. Thomas «Doctor Communis» Ecclesiae*, t. I, pp. 176-177. Romae, 1914).

III

Leo XIII

1. *Litterae Encyclicae «Aeterni Patris» de Philosophia Christiana ad mentem Sancti Thomae Aquinatis in pristinum decus restituenda, d. d. 4 augusti 1879.*

«Aeterni Patris Unigenitus Filius, qui in terris apparuit, ut humano generi salutem et divinae sapientiae lucem afferret, magnum plane ac mirabile mundo contulit beneficium, cum caelos iterum ascensurus, Apostolis praecepit, ut *eutes docerent omnes gentes* (1); Ecclesiamque a se conditam communem et supremam populorum magistram reliquit. Homines enim, quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi: neque diu permansissent caelestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, nisi Christus Dominus erudiendis ad fidem mentibus perenne magisterium constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui cum erecta promissis, tum imitata caritatem, sic iussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime voluerit, de religione praecipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc sane pertinent singulorum Episcoporum vigilati labores; huc Conciliorum perlatae leges ac decreta, et maxime Romanorum Pontificum sollicitudo quotidiana, penes quos, beati Petri Apostolorum Prin-

---

(1) Matt. XXVIII, 19.

cipis in primatu successores, et ius et officium est docendi et confirmandi fratres in fide.

Quoniam vero, Apostolo monente, *per philosophiam et inanem fallaciam* (1) Christifidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus corrumpi, idcirco supremi Ecclesiae Pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari vigilantia providere, ut ad fidei catholicae normam ubique traderentur humanae disciplinae omnes, praesertim vero *philosophia*, a qua nimirum magna ex parte pendet ceterarum scientiarum recta ratio. Id ipsum et Nos inter cetera breviter monuimus, Venerabiles Fratres, cum primum Vos omnes per Litteras Encyclicas allocuti sumus; sed modo rei gravitate, et temporum conditione compellimur rursus Vobiscum agere de ineunda philosophicorum studiorum ratione, quae et bono fidei apte respondeat, et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.

Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet, fecundam malorum causam, cum eorum quae premunt, tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iampridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile

(1) Coloss. II, 8.

labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet.

Equidem non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse iudicemus: sicut enim cum primum est religio christiana constituta, per admirabile fidei lumen *non persuasibilibus humanae sapientiae verbis* diffusum, *sed in ostensione spiritus et virtutis* (1), orbi terrarum contigit ut primaevae dignitati restitueretur; ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest, ut superaddita fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad maiora reddat.

Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur: quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesia Patrum, antiquitatis

(1) I. Cor. II, 4.

monumenta testantur. Illis scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, *huic scientiae tribuens... illud quo fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur* (1).

Ac primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quamobrem a veteribus modo *praevia ad christianum fidem institutio* (2), modo *christianismi praeludium et auxilium* (3), modo *ad Evangelium paedagogus* (4) non immerito appellata est.

Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non eas tantum veritates lumine fidei patefecit, quibus attingendis impar humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit, rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erroris admixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est, ut quaedam vera, quae vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantum ratione praelucente, cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint. *Invisibilia enim ipsius,* ut Apostolus inquit, *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas* (1); et *gentes quae legem non habent... ostendunt* nihilominus *opus legis scriptum in cordibus suis* (2).

(1) De Trin. lib. XIV, c. 1.
(2) Clem. Alex., Strom. lib. I, c. 16; l, VIII, c. 3.
(3) Orig. ad Greg, Thaum.
(4) Clem. Alex, Strom. I, c. 5.

Haec autem vera, vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatae doctrinae commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur, humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianae suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiae Patribus saepe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quamdam eius rei et prope figuram agnoscunt in Hebraeorum facto, qui Aegypto excessuri, deferre secum iussi sunt argentea atque aurea Aegyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quae prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocaesariensis (3) laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianae sapientiae et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorserit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus (4), tum Gregorius Nyssenus (5) in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadra-

(1) Rom. I, 20.
(2) Ib. II, 14-15.
(3) Orat. paneg. ad Origen.
(4) Vit. Moys.
(5) Carm. I, Iamb. 3.

to Apostolorum discipulo, in Aristide, in Iustino, in Irenaeo, aliisque permultis (1). Augustinus autem, *Nonne aspicimus*, inquit, *quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci?* (2) Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinae segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiorem certe progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanae mentis facultates instauravit et auxit. Ecquis autem non videat, iter planum et facile per huismodi philosophandi genus ad fidem aperiri?

Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quae ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinae sapientiae eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui *de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est; neque, operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex* (3). Igitur primo loco magnus hic et praeclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri* (4).

Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa iustitia,

---

(1) Epist. ad Magn.
(2) De doctr. christ. l. II, c. 40.
(3) Sap. XIII, 1.
(4) Sap. XIII, 5.

quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet.

Simili modo ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam certis certae veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse: atque ideo omnes, qui Evangelio fidem adiungunt, non temere adiungere, tamquam doctas fabulas secutos (1), sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et iudicium suum divinae subiicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, Ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) *ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam unitatem. invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* (2).

Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiae usus, ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multae ac diversae caelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae

---

(1) II. Petr. I, 16.
(2) Const. dogm. de Fid. Cath., cap. 3.

apto inter se nexu cohaereant: demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur.

Nec silentio praetereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus (1) fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integritate vitae fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem Synodus Vaticana doceat, eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam *tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur, analogia; tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo* peti opertere (2).

Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. *Est quidem*, sicut Clemens Alexandrinus testatur, *per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem*

(1) Const. cit. cap. 4.
(2) Ibid.

insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus (1). Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiae penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat. Quam speciem religiosi certaminis ab ipso gentium Apostolo usurpatam commemorat S. Hieronymus scribens ad Magnum: *Ductor christiani exercitus Paulus et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare* (2). Atque ipsa Ecclesia istud a philosophia praesidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam iubet. Etenim Conclium Lateranense V posteaquam constituit, *omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse, eo quod verum vero minime contradicat* (3), philosophiae doctoribus praecipit, ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur; siquidem, ut Augustinus testatur, *si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest* (4).

(1) Strom. lib. I, c. 20.
(2) Epist. ad Magn.
(3) Bulla *Apostolici regiminis.*
(4) Epist. 143 (al. 7) ad Marcellin. n. 7.

Verum ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet, ut ab eo tramite numquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillae et pedisequae, famulari caelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere.

In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est, sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet, ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.

Novimus profecto non deesse, qui facultates humanae naturae plus nimio extollentes, contendunt, hominis intelligentiam, ubi semel divinae auctoritati subiiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis iugo demissam plurimum retardari

atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur.

Sed haec plena erroris et fallaciae sunt; eoque tandem spectant, ut homines, summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient, et divinum beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte reiiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus, et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit.

Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae fidei repugnant, et in probandis, quae cum fide cohaerent, digne ac perutiliter rationem exercent: in illis enim prioribus, causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt; in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus preclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his ver-

bis commemorat: *Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit* (1). Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum, quod, inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.

Quod si, Venerabiles Fratres, ad historiam philosophiae respiciatis, cuncta, quae paullo ante diximus, re ipsa comprobari intelligetis. Et sane philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis, aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium.

Contra vero primi Ecclesiae Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinae voluntatis consilio, restitutorem humanae etiam scientiae esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia (2), et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (3), veterum sapientum libros investigandos, eorumque

(1) Const. dogm. de Fid. Cath., cap. 4.
(2) I. Cor. I, 24.
(3) Coloss. II, 3.

sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere; prudentique delectu quae in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, ceteris omnibus vel emendatis, vel reiectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos, magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos obiecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiae primordiis, catholica doctrina eos nacta est adversarios multo infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio causaque caruisse, rerumque cursum caeca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinae providentiae consilio administrari. Iamvero cum his insanientis doctrinae magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos *Apologetas* nominamus, qui, fide praeeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent, unum Deum, omni perfectionum genere praestantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri.

Principem inter illos sibi locum vindicat *S. Iustinus* martyr, qui posteaquam celeberrimas graecorum Academias, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore venonnisi ex revelatis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum Imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca graecorum philosophorum dicta cum eis com-

posuit. Quod et *Quadratus*, et *Aristides*, *Hermias* et *Athenagoras* per illud tempus egregie praestiterunt.

Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est *Irenaeus*, martyr invictus, Ecclesiae Lugdunensis Pontifex: qui cum strenue refutaret perversas orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines romani imperii disseminatas, *origines haereseon singularum* (auctore Hieronymo), *et ex quibus philosophorum fontibus emanarint... explicavit* (1).

Nemo autem non novit *Clementis Alexandrini* disputationes quas idem Hieronymus sic, honoris caua, commemorat: *Quid in illis indoctum? imo quid non de media philosophia est?* (2) Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiae historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima.

Hunc secutus *Origenes*, scholae Alexandrinae magisterio insignis, graecorum et orientalium doctrinis eruditissimus, perplura eademque laboriosa edidit volumina, divinis litteris explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna; quae licet erroribus, saltem ut nunc extant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et firmitate augentur.

Pugnat cum haereticis *Tertullianus* auctoritate sacrarum Litterarum; cum philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque obiiciat:

---

(1) Epist. ad Magn.
(2) Loc. cit.

Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, aequamur (1).

Arnobius etiam, vulgatis adversus gentiles libris, et *Lactantius* divinis praesertim Institutionibus, pari eloquentia et robore dogmata ac praecepta catholicae sapientiae persuadere hominibus strenue nituntur, non sic philosophiam evertentes, ut Academici solent (2), sed partim suis armis, partim vero ex philosophorum inter se concertatione sumptis eos revincentes (3).

Quae autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quaestionibus, magnus *Athanasius* et *Chrysostomus* oratorum princeps, scripta reliquerunt, ita, omnium iudicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur.

Et ne singulis recensendis nimii simus, summorum numero virorum, quorum est mentio facta, adiungimus *Basilium* magnum et utrumque *Gregorium*, qui, cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis, exiissent philosophiae omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinae opes inflammato studio pepererat, eas ad haereticos refutandos, instituendosque christianos converterunt.

Sed omnibus veluti palmam praeripuisse visus est *Augustinus*, qui ingenio praepotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiae locum non

---

(1) Apologet. § 46.
(2) Inst. VII, cap. 7.
(3) De opif. Dei, cap. 21.

attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichaeorum commentis deletis, humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de Angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit?

Post id tempus per Orientem *Ioannes Damascenus*, Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero *Boëtius* et *Anselmus*, Augustini doctrinas professi, patrimonium philosophiae plurimum locupletarunt.

Exinde mediae aetatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem.

Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, iuvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris Nostri, Sixti V, fusius aperire: «Divino Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetatem, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris, Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi

Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores,... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes, et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est» (1).

Quae verba quamvis Theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de Philosophia eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, «apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputatio-

---

(1) Bulla - *Triumphantis* an. 1588.

nes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefiunt et denudantur» (1), praeclarae, inquimus, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae, quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt.

Praeterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent.

Iamvero *inter Scholasticos Doctores, omnium princeps, et magister, longe eminet* **Thomas Aquinas;** qui, uti Caietanus animadvertit, veteres *doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est* (2). Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur.

Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator,

(1) Bull. cit.
(2) In 2.m 2ae., q. 148, a. 4. in fin.

divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.

Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quamlatissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit.

Praeterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta.

Has ob causas, doctissimi homines, superioribus

praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt.

Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum iussisse constat sodales suos, doctrinis S. Thomae studere et religiosius haerere, cauto, ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel mininum discedere. Ut Dominicianam familiam praetereamus, quae summo hoc magistro iure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Iesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur.

Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academias et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Conimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen aetate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Iamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse.

Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Praedecessores Nostri sapientiam Thomae Aquinatis singularibus laudum praeconiis, et testimoniis amplissimis

prosecuti sunt. Nam Clemens VI (1), Nicolaus V (2), Benedictus XIII (3) aliique testantur, admirabili eius doctrina universam Ecclesiam illustrari; S. Pius V (4) vero fatetur eadem doctrina haereses confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII (5), uberrima bona ab eius scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur; alii tandem S. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lyceis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur B. Urbani V verba ad Academiam Tolosanam: *Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus, ut B. Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eamdemque studeatis totis viribus ampliare* (6). Urbani autem exemplum Innocentius XII (7) in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV (8) in Collegio Dionysiano Granatensium renovarunt.

His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate iudiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat: *Huius* (Thomae), *doctrina prae caeteris,*

---

(1) Bulla *In Ordine,*
(2) Breve ad FF. Ord. Praedic. 1451.
(3) Bulla *Pretiosus.*
(4) Bulla *Mirabilis.*
(5) Bullo *Verbo Dei.*
(6) Const, 5.ª dat. die 3 Aug. 1368 ad Cancell. Univ. Tolos.
(7) Litt. in form. Brev., die 6 febr. 1694.
(8) Litt. in form. Brev., die 21 aug. 1752.

excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus (1).

Ipsa quoque Concilia Oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem.

Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.

Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis se facile posse *cum omnibus* catholicis doctoribus *subire certamen et vincere, et Ecclesiam dissipare* (2).

---

(1) Serm. de S. Thom.
(2) Beza - Bucerus

Inanis quidem spes, sed testimonium non inane.

His rebus et causis, Venerabiles Fratres, quoties respicimus ad bonitatem, vim praeclarasque utilitates eius disciplinae philosophicae quam maiores nostri adamarunt, iudicamus temere esse commissum, ut eidem suus honos non semper, nec ubique permanserit: praesertim cum philosophiae scholasticae et usum diuturnum et maximorum virorum iudicium, et, quod caput est, Ecclesiae suffragium favisse constaret. Atque in veteris doctrinae locum nova quaedam philosophiae ratio hac illac successit, unde non ii percepti sunt frutus optabiles ac salutares, quos Ecclesia et ipsa civilis societas maluissent. Adnitentibus enim Novatoribus saeculi XVI, placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quaelibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit, genera philosophiae plus aequo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantes oriri etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat.

Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse: qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur,

mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inveniri, eius rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam.

Quae cum dicimus, non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventurum opus ad excolendam philosophiam afferunt: id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere. Sed magnopere cavendum est, ne in illa industria atque eruditione tota aut praecipua exercitatio versetur.

Et simili modo de sacra Theologia iudicetur, quam multiplici eruditionis adiumento iuvari atque illustrari quidem placet; sed omnino necesse est, gravi Scholasticorum more tractari, ut, revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, *invictum fidei propugnaculum* (1) esse perseveret.

Optimo itaque consilio cultores disciplinarum philosophicarum non pauci, cum ad instaurandam utiliter philosophiam novissime animum adiecerint, praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine Vestro, Venerabiles Fratres, eamdem alacriter viam esse ingressos, magna cum animi Nostri laetitia cognovimus. Quos cum laudamus vehementer, tum hortamur, ut in suscepto consilio permaneant. Reliquos vero omnes ex Vobis

(1) Sixtus V, Bull. cit.

singulatim monemus, nihil Nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos, ex angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiose iuventuti large copioseque universi praebeatis.

Quae autem faciunt, ut magno id studio velimus, plura sunt. Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cuiusdam sapientiae, christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi, et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, *parati semper*, secundum Apostolica monita, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe* (1); et *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (2).

Deinde plurimi ex iis hominibus qui, abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, praeter supernaturale Dei auxilium, nihil esse opportunius arbitramur, quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis

(1) I. Pet. III, 15.
(2) Tit. I, 9.

mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

Domestica vero, atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur. Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cuiuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum Principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate; quae scilicet de his rebus et aliis generis eiusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea iuris novi principia, quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dignoscuntur.

Demum cunctae humanae disciplinae spem incrementi praecipere, plurimumque sibi debent praesidium polliceri ab hac, quae Nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a philosophia, tamquam a moderatrice sapientia, sanam rationem, rectum modum bonae artes mutuari, ab eaque, tamquam vitae communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur, artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens iudicium philosophiae stetit; neglectas vero et prope obliteratas iacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita philosophia.

Quapropter etiam physicae disciplinae, quae nunc

tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuosae exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturae; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, et principiis, unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem, et opem est allatura, si sapienti ratione tradatur.

Qua in re illud monere iuvat, nonnisi per summam iniuriam eidem philosophiae vitio verti, quod naturalium scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Antropologia passim tradiderint, humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt, nihil esse philosopho utilius, quam naturae arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam S. Thomas, B. Albertus magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi philosophiae dediderunt, ut non etiam multum operae in naturalium rerum cognitione collocarint: imo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quae recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Praeterea, hac ipsa aetate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores

palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicae conclusiones, et philosophica Scholae principia nullam veri nominis pugnam existere.

Nos igitur, dum edicimus libenti gràtoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.

Ceterum, *doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare;* **eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant**. Eamdem Academiae a Vobis intitutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant.

Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: **sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.**

Probe autem novimus conatus Nostros irritos futuros, nisi communia coepta, Venerabiles Fratres, Ille secundet, qui *Deus scientiarum* in divinis eloquiis (1) appellatur; quibus etiam monemur, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* esse, *descendens a Patre luminum* (2). Et rursus: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei* (3).

Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris angelici, qui numquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo; quique candide confessus est, quidquid sciret, non tam studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse: ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiae filios spiritum scientiae et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinae bonitatis fructus, etiam B. Virginis Mariae, quae sedes sapientiae appellatur, efficacissimum patrocinium apud Deum interponite; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsum B. Iosephum, et Petrum ac Paulum Apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et caelestis sapientiae lumine compleverunt». (*Acta Leonis XIII*, ed. Bonne Presse, t. I, pp. 42-74. Paris).

(1) I. Reg. II, 3.
(2) Iac. I, 17.
(3) Ibid. v. 5.

2. *Breve «Cum hoc sit» de Sancto Thoma Aquinate Patrono caelesti studiorum optimorum cooptando, d. d. 4 augusti 1880.*

«Cum hoc sit et natura insitum et ab Ecclesia catholica comprobatum, ut a viris sanctitate praeclaris patrocinium, ab excellentibus autem perfectisque in aliquo genere exempla ad imitandum homines exquirant; idcirco Ordines religiosi non pauci, Lycea, coetus litteratorum, Apostolica Sede approbante, iamdiu magistrum ac patronum sibi sanctum Thomam Aquinatem esse voluerunt, qui doctrina et virtute, Solis instar, semper eluxit. Nostris vero temporibus, aucto passim studio doctrinarum eius, plurimi extiterunt, qui peterent, ut cunctis ille Lyceis, Academiis, et scholis gentium catholicarum, huius Apostolicae Sedis auctoritate, patronus assignaretur. Hoc quidem optare se plures Episcopi significarunt, datis in id litteris cum singularibus tum communibus; hoc pariter studuerunt multarum Academiarum sodales et collegia doctorum supplice atque humili obsecratione deposcere.

Quorum omnium incensas desiderio preces cum differre visum esset, ut productione temporis augerentur, idonea ad rem opportunitas accessit ab Encyclicis Litteris Nostris *De philosophia christiana ad mentem s. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda*, quas superiore anno hoc ipso die publicavimus. Etenim Episcopi, Academiae, doctores decuriales Lyceorum, atque ex omni terrarum regione cultores artium optimarum se Nobis

dicto audientes et esse et futuros una pene voce et consentientibus animis testati sunt: imo velle se in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis sancti Thomae vestigiis penitus insistere; sibi enim non secus ac Nobis, exploratum esse affirmant, in doctrinis Thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem. Nos igitur, qui diu multumque cupimus, florere scholas disciplinarum universas tam excellenti magistro in fidem et clientelam commendatas, quoniam tam clara et testata sunt communia omnium desideria, maturitatem advenisse censemus decernendi, ut Thomae Aquinatis immortale decus novae huius accessione laudis cumuletur.

Hoc est autem caussarum, quibus permovemur, caput et summa; *eminere inter omnes sanctum Thomam, quem in variis scientiarum studiis, tamquam exemplar, catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia: doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita; obsequium fidei et cum veritatibus divinitus traditis mira consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum.*

Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, supe-

randi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod eius doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accomodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer.

Neque minoris aestimanda, christianorum praesertim hominum iudicio, rationis et fidei perfecta convenientia. Evidenter enim sanctus Doctor demonstrat, quae ex rerum genere naturalium vera sunt, ab iis dissidere non posse, quae, Deo auctore, creduntur; quamobrem sequi et colere fidem christianam, non esse humilem et minime generosam rationis servitutem, sed nobile obsequium, quo mens ipsa iuvatur et ad sublimiora eruditur; denique intelligentiam et fidem a Deo ambas proficisci, non simultatum secum exercendarum causa, sed ut sese amicitiae vinculo colligatae mutuis officiis tueantur.

Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur. In iis enim excellit atque eminet modo intelligentia, quae quod vult, fide praeeunte, consequitur in pervestigatione naturae; modo fides quae rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen, ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque, ubi res postulat, ambae quasi foedere icto ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur. Ac si magnopere semper interfuit firmam rationis et fidei manere concordiam, multo magis post saeculum XVI interesse existimandum est; quoniam per id tempus spargi semina

coeperunt finem et modum transeuntis libertatis, quae facit ut humana ratio divinam auctoritatem aperte repudiet, armisque a philosophia quaesitis religiosas veritates pervellat atque oppugnet.

Postremo Angelicus Doctor non est magis doctrina quam virtute et sanctitate magnus. Est autem virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima; quam qui negligunt, solidam fructuosamque sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (1). Ista vero comparatio animi, quae ab indole virtutis proficiscitur, in Thoma Aquinate extitit non modo excellens atque praestans, sed plane digna, quae aspectabili signo divinitus consignaretur. Etenim cum maximam voluptatis illecebram victor evasisset, hoc veluti praemium fortitudinis tulit a Deo pudicissimus adolescens, ut lumbos sibi arcanum in modum constringi, atque una libidinis faces extingui sentiret. Quo facto, perinde vixit ac esset ab omni corporis contagione seiunctus, cum ipsis angelicis spiritibus non minus innocentia quam ingenio comparandus.

His de caussis dignum prorsus Angelicum Doctorem iudicamus, qui praestes tutelaris studiorum cooptetur. Quod cum libenter facimus, tum illa Nos consideratio movet, futurum ut patrocinium hominis maximi et sanctissimi multum valeat ad philosophicas theologicasque disciplinas, summa cum utilitate reipublicae, instaurandas. Nam, ubi se scholae catholicae in disciplinam et clientelam Doctoris Angelici tradi-

(1) Sap. 1, 4.

derint, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata. Ex probitate doctrinarum probitas gignetur vitae cum privatae tum publicae: probe vivendi consuetudinem salus populorum, ordo, pacata rerum tranquillitas consequentur.

Qui in scientia rerum sacrarum elaborant tam acriter hoc tempore lacessita, ex voluminibus sancti Thomae habituri sunt, quo fundamenta fidei christianae ample demonstrent, quo veritates supernaturales persuadeant, quo nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulsent. Eaque ex re humanae disciplinae omnes non impediri aut tardari cursus suos, sed incitari augerique sentient; ratio vero in gratiam cum fide, sublatis dissidiorum caussis, redibit, eamque in indagatione veri sequetur ducem. Demum quotquot sunt homines discendi cupidi, tanti magistri exemplis praeceptisque conformati, comparare sese integritate morum assuescent; nec eam rerum scientiam consectabuntur, quae a caritate seiuncta inflat animos et de via deflectit, sed eam quae sicut a *Patre luminum* et *scientiarum Domino* exordia capit, sic ad eum recta perducit.

Placuit autem hac super re sacri etiam Consilii legitimis ritibus cognoscendis perrogare sententiam; quam cum perspexerimus, dissentiente nemine, votis Nostris plane congruere, Nos ad gloriam omnipotentis Dei et honorem Doctoris Angelici, ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem, sanctum Thomam Doctorem Angelicum suprema auctoritate Nostra Patronum declaramus Universitatum studiorum, Academiarum, Lyceorum, scholarum catholicarum, atque uti talem ab omnibus haberi, coli, atque observari volumus, ita tamen ut sanctis caelestibus, quos iam Academiae aut Lycea sibi forte patronos singulares delegerint suus honos suusque gradus etiam in posterum permanere intelligatur» (*Acta Leonis XIII*, ed. cit., t. I, pp. 110-116).

3. *Ex Instructione S. C. de Propaganda Fide «Quae a praesentibus», I, § IV, 6, ad Vicarios Apostolicos Sinarum, d. d. 18 octobris 1883, de optimis ex christianis indigenis ad levitarum ordinem initiandis.*

«Praesertim vero ad examen revocabunt quaestionem de auctoribus in philosophia rationali ac theología adhibendis. Qua in re laeto animo pervidit S. Congregatio plures ex patribus sollicitos se ostendisse ut *Philosophia ad methodum S. Thomae in hisce scholis introduceretur*. Hoc itaque propositum laudat, ac optimum autumat si praedicti viri de ratione eam rem ad praxim deducendi tractaverint, eos auctores indicando qui idonei ad id, inspectis locorum et iuvenum circumstantiis, reperti fuerint. Id sane, ut notum est, gratissimum Ssmo. D. N. erit, qui tantam de philosophia S. Thomae restituenda sollicitudinem ostendit, uti ex eius Literis Encyclicis patet». (*Collectanea S.C. de Propaganda Fide*, t. II. p. 190 a. Romae, 1907).

4. *Ex Litteris Encyclicis «Officio sanctissimo» d. d. 22 decembris 1887 ad Episcopos Bavariae.*

«Itaque, venerabiles Fratres, cognitum perspectumque habetis quali ratione et via alumnos Ecclesiae erudiri oporteat ad maiores doctrinas, ut convenienter temporibus utiliterque in muneribus suis versentur. Hi nimirum, ut erunt humanitatis artibus informati et politi, praestantissima sacrae Theologiae studia ne attingant prius quam diligentem adhibuerint praeparationem in studio Philosophiae. Philosophiam eam intelligimus, intimam solidamque, altissimarum indagatricem causarum, patronam optimam veritatis; cuius virtute neque ipsi fluctuent neve abripiantur «omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris» (Ephes., IV, 14), et queant etiam doctrinis ceteris adiumenta veritatis subministrare, captionibus praestigisque opinionum discussis et refutatis.

Huius rei gratia, ut opera magni Aquinatis essent in manibus, et assidue apteque exponerentur iampridem monuimus, idemque saepius inculcavimus verbisque gravissimis; et gestit animus optimos inde fructus esse a Clero perceptos, per quam optimos uberrimosque spe certa exspectamus. Scilicet *disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad confirmandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi prese invicteque:* nam res singulas dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se connexas et cohaerentes, omnes ad capita pertinentes suprema; tum in contemplationem eri-

git Dei, qui rerum omnium et caussa effectrix est, et vis et summum exemplar, ad quem demum omnis philisophia et homo quantus est, debent referri. Sic vere per Thomam scientia rerum divinarum et humanarum, caussarumque quibus hae res continetur, quum praeclarissime ilustrata tum firmissime munita est; cuius conflictione disciplinae, veteres sectae errorum penitus corruerunt, itemque novae, nomine potius et specie quam re illis dispares, simul emisere caput, et eiusdem ictibus deiectae interciderunt; quod iam non unus ostendit de scriptoribus nostris. Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque libera vult acie penetrare nec non velle potest; verum, *Aquinate auctore et magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius, quia tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis.*

Neque enim libertatem recte dixeris quae ad arbitrium libidinemque opiniones consectatur et spargit, immo vero licentiam nequissimam, mendacem et fallacem scientiam, dedecus animi et servitutem. *Ille reapse sapientissimus Doctor intra veritatis fines graditur, qui non modo cum Deo, omni veritatis principio et summa, nunquam decertat, sed ipsi adhaeret semper arctissime semperque obsequitur, arcana sua quoquo modo patefacienti;* qui neque sancte minus Pontifici Romano est dicto audiens, et auctoritatem in eo reveretur divinam, et «subesse Romano Pontifici» tenet omnino «de necessitate salutis» (Opusc. *Contra errores Graecorum).*

Eius igitur in schola adolescat et exerceatur clerus ad Philosophiam, ad Theologiam: exsistat enimvero doctus et ad sacra praelia valens quam maxime». *(Acta Leonis XIII*, ed. cit., t. II, pp. 126-128).

5. *Breve «Gravissime Nos», d. d. 30 decembris 1892, quibus Constitutiones Societatis Iesu de doctrina S. Thomae Aquinatis profitenda confirmantur.*

«Gravissime Nos, pro apostolico officio, infesta Ecclesiae tempora atque humanae societatis in maximis rebus quasi naufragium, sub ipsa pontificatus exordia, reputantes, praecipuam tanti exitii causam in eo agnovimus quod certis iis principiis institutisque, quibus ad christianam fidem munitur via, neglectis passim et prope contemptis, libido invaluisset novarum rerum, quae per speciem progredientis doctrinae, sapientiae a Deo traditae obsisteret et repugnaret. Neque ita laboriosum fuit opportuna indicare remedia, fontes nimirum germanae doctrinae male desertos repeti oportere.

Id nos primum Litteris datis Encyclicis *Aeterni Patris* praestitimus; pluribus deinde auctoritatis nostrae actis, atque privatis etiam cum Episcopis et Moderatoribus religiosorum Ordinum colloquiis idem saepius confirmavimus, deliberatum nobis esse et constitutum doctrinam sancti Thomae Aquinatis in scholas omnes revocare: eam nempe doctrinam quam amplae Romanorum Pontificum sacrorumque Conciliorum laudes commendant, et qua, suffragante saeculorum voce, *nihil solidius possit aut fructuosius optari.*

Rem nos moliri et negotii et laboris plenam omnino intelleximus, quum tanti referret quanti graviorum disciplinarum paene omnium instaurare rationem: eam tamen maturare et urgere contendimus opera etiam

Ordinum religiosorum valde confisi, quorum explorata virtus nihil profecto neque ingenio neque viribus parceret ad consilia nostra iuvanda et perficienda.

Quo quidem in numero deesse non poterat inclita Societas Iesu, quippe quae et late pateat in Ecclesia et studiis deditam iuventutem suopte praescripto habeat excolendam; alebantque in nobis exspectationem non modo perpetua testimonia summae eius pietatis in hanc Apostolicam Sedem, sed propriae ipsius sacratae leges, quibus alumni sapientiam Aquinatis persequi et profeteri tenentur.

Ea igitur mente ut Societas Iesu in proposito tam praeclaro fidelissime constet, atque locum cum primis teneat in ea, cui tantopere studemus, doctrina vera tuenda et propaganda, visum est easdem Societatis leges, prout in *Constitutionibus* Ignatii Patris, in Decretis Congregationum generalium, in mandatis Praepositorum habentur, in summam quandam conferre, easque firmas atque in perpetuum ratas suprema auctoritate nostra declarare.

Quo etiam fiet ut, si quae forte speciosae causae vel inductae consuetudinis aliqua ex parte contrariae, vel minus rectae interpretationis, resideant, eis penitus sublatis, regula et norma statuatur a nobis certa, stabilis, definita.

Quod primum est, idque omnibus probe notum, sic insignis ille Societatis auctor crebris *Constitutionum* locis decrevit sequendum in unaquaque disciplina doctrinam solidam et securam, atque etiam «securiorem et magis approbatam» (Const. p. IV cap. V, § 4): quod pluries redit ipsum per decreta et iussa tum

Congregationum tum Praepositorum rite affirmatum. Hoc autem amplius ille praecepit, ut doctrina, quam sequeretur Societas, una eademque esset apud omnes atque in omni munerum perfunctione: «Idem sapiamus, idem quoad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum. Doctrinae igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris» (Const. p. III, cap. I, § 18). Item: «Patres deputati ex variis nationibus pro libro *De ratione studiorum* recognoscendo, quum de delectu opinionum primo loco tractandum censuissent, et tanquam fundamentum proposuissent doctrinam Societatis esse debere uniformem, securam et solidam, iuxta *Constitutiones...*» (Congr. V. decr. 56).

Quae quidem uniformis doctrinae praeceptio non eo circumscribi putanda est ut sententias tantummodo quae sunt in scholis communes respiciat, verum etiam ad opiniones latius pertinere de quibus catholicos inter doctores minus conveniat: «In opinionibus etiam in quibus catholici doctores variant inter se vel contrarii sunt, ut conformitas in Societate sit, curandum est» (*Const.*, p. III cap. 1, decl. O.) Quando enim e lege «unius scriptoris doctrina in Societate eligenda est» *(Const.*, p. VIII, cap. 1, litt. K; Cong. V. decr. 56), ideo per se apparet opiniones item disputatas et disputabiles eo ipso praescripto contineri, quum in sententiis communibus, quocumque demum praeeunte auctore, nihil de ipsa doctrina accidat immutatum.

Haec vero legifer Pater, provida mente et sancta, ad altiora quaedam direxit, ut coniunctioni concordiaeque et universae quasi corporis Societatis et varia inter eius membra prospiceret: quae virtutes quanto

magis necessariae sunt ad religiosi fervorem spiritus nutriendum ubertatemque salutarium fructuum gignendam, tanto facilius in varietate opinionum languent atque intereunt, quum dissimilitudo sentiendi disiunctionem saepius faciat animorum: «Iuvat ad unionem membrorum huius Societates inter se et cum suo capite... eadem doctrina» *(Const.*, p. X, § 9).

Ad eum igitur assequendum concordiae et caritatis modum quem Societati praestituerat, optime vidit Ignatius Pater haudquaquam satis esse vulgatam probatamque regulam opiniones dispares tolerandas, secundum illud, «in dubiis libertas», sed necessarium opiniones tales minime haberi in Societate, easque praecise ab ipsa prohibuit. Ne cui vero hoc de uniformi doctrina praeceptum saperet durius, idem caute consuluit, ut sodalis quisque, priusquam sese votorum religione obstringeret, rogaretur, «Num paratus sit ad iudicium suum submittendum, sentiendumque ut fuerit constitutum in Societate» (Exam., cap. III § II); quo modo iam tum optio datur eius rei eligendae quae, ex lege deinde imposita, vix tolerabilis possit videri.

Itaque longe alienum fuerit a natura scriptisque legibus Societatis, ut quis in ea talem opinandi facultatem exposcat quali extra eam plerique potiantur. Quamvis enim de opinionibus ageretur valde probabilibus atque doctos nactis patronos, quae tamen doctrinae refragarentur praescriptae, eas qui sequerentur, reprehensionem quidem vitarent novitatis, temeritatis, erroris, at vero ab una illa eademque doctrinae forma, tantopere desiderata et commendata, prorsus discederent. Idque deterius fieret, si eiusmodi libera opi-

nionis copia ad ea doctrinae capita advocaretur quae Societas in *Constitutionibus* atque in elenchis per summos Praepositos, mandatu Congregationum generalium, confectis, iam aperte iussit ab universis admittenda esse vel improbanda; quae libertas in licentiam et culpam descisceret.

Hoc legifer Pater tanquam fundamento in Societate posito, quo praeterea iudicio excellebat, certam ipse unam deligit formam doctrinae, quam, utpote maxime omnium integram et eminentem, consensione sapientum et diuturno usu comprobatam, prae caeteris ab Ecclesia laudatam, bene potuit filiis suis prascribere, eorum mentibus non modo vim afferens nullam, sed immo pabulum exhibens incorruptum et salutare, eaque fuit *doctrina sancti Thomae Aquinatis:* «*In Theologia* legetur... doctrina scholastica Divi Thomae» (*Const.*, p. IV, cap. XIV, § 1).

Fatendum sane est sanctum Fundatorem, salvo quidem de uniformi doctrina praecepto, eiusque rei causa doctrina Angelici anteposita, attamen, ut patet ex multis locis *Constitutionum,* suavi quadam prudentia reliquisse posteris facultatem designandae doctrinae, quam et tempus et ipsa rerum tractatio Societati aptiorem esse monerent: aeque vero fatendum, eadem posteros facultate iamdiu esse usos, atque laudatisime usos, quo plane modo decebat tanti Patris filios, eius animi et virtutis heredes. Etenim in Congregatione V generali commemorantes Patres monita *Constitutionum* «unius scriptoris doctrinam eligendam esse» unanimi consensu statuerunt, «*doctrinam sancti Thomae in Theologia scholastica tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam et consentaneam Constitutionibus sequendam esse*» (Congr. V decr. 41): cui Decreto quo plus firmitatis accederet haec addita voluerunt: «Nostri omnino sanctum Thomam *ut proprium Doctorem* habeant», eoque amplius ut «nullus ad docendum Theologıam assumatur, qui non sit vere sancti Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur» (Ib., decr. 56).

Quae omnia tam considerate et prudenter consulta, potius quam diuturnitate exolverint aut deflexerint, frequenter sunt singulatimque confirmata, in Congregatione praesertim XXIII, peculiari quodam Decreto edito; quod quidem Decretum, quum nobis primum exhibitum est, XIV cal. dec. an. MDCCCLXXXIII, commendatione nostra dignum habuimus, eique haec volenti animo adscripsimus: «Decretum de retinenda sancti Tromae Aquinatis in scholis Societatis Iesu doctrina, quod in Conventu magno Ordinis nuper habito renovatum est, valde nobis probatur, et maxime hortamur ut diligentissime in posterum ab omnibus servetur».

Qui porro Societatis praescriptiones de studiis perpenderit, ei perspicuum erit, *doctrinam sancti Thomae etiam in philosophicis*, non in theologicis tantum, *esse omnino sequendam.* Licet enim ex regula sequendus sit in Philosophia Aristoteles, Philosophia sancti Thomae nihil demum alia est atque aristotelea: hanc nempe Angelicus scientissime omnium interpretatus est, hanc erroribus, scriptori ethnico facile excidentibus, emendatam, christianam fecit, hac ipsemet usus

est in exponenda et vindicanda catholica veritate. Hoc ipsum numeratur inter summa beneficia, quae magno Aquinati debet Ecclesia, quod christianam Theologiam cum peripatetica Philosophia iam tum dominantem tam belle sociaverit, ut Aristotelem Christo militantem, iam non adversarium habeamus. (Card. Sfortia Pallavicini, *Vindicationes Soc. Iesu*, cap. 24).

Neque vero aliter ab eo fieri poterat, qui doctorum Theologiae scholasticae existit princeps: nam, quod omnes norunt, haec disciplina eiusmodi est quae fontes adeat quidem proprios, doctrinas nimirum divinitus revelatas, ex eisque in rem suam omni religione et studio derivet, sed operam quoque multam adhibeat sibi Philosophiae tamquam optimae adiutricis, ad fidem ipsam sive tuendam sive illustrandam. Quotquot igitur Aristotelem cogitant debentque tuta via sectari, Philosophiam Aquinatis amplectantur oportet: idque eo magis quod in Societate Philosophiam praeceptores ita interpretari iubentur, «ut verae Theologiae scholasticae, quam commendant *Constitutiones*, ancillari et subservire faciant» (Congr. III, can. 8), atque idcirco aristoteleae institutionis ratio praeoptata est, quia eidem proposito melius visa sit respondere: «Quum Societas Philosophiam Aristotelis, tanquam Theologiae magis utilem amplexa sit, illi inhaerendum omnino est». (Congr. XVI, decr. 36).

Philosophia vero quam Societatis alumni profiteantur, nisi sit ad mentem et rationem Angelici, nequaquam subservire poterit Theologiae eius scholasticae, quam omnes reapse «tenentur sequi». Quod illi in primis sibi dictum habeant qui, Aristotelis interpretes vel catholicos in varias dissimilesque opiniones

quum videant discedentes, integrum sibi fortasse putent quam velint opinionem assumere, nihil fere laborantes quid senserit Thomas: hoc enim ipso, ut palam est, etiam in Theologia ab illo recederent, ob eandemque causam ab ipsa deficerent «doctrina uniformi» quam legifer Pater constantissime iussit habendam.

Quapropter consilio bene laudabili actum est a Congregatione XXIII, quae non ita multo post editas a nobis Litteras Encyclicas *Aeterni Patris* convenit, hoc etiam scripto capite: «Societas Iesu plenissimum filialis obedientiae atque assensus obsequium eis Encyclicis Litteris solemni ac publico testimonio manifestandum sibi esse iudicavit» (Congr. XXIII, decr. 15); eo autem totae spectabant Litterae nostrae, ut sancti Thomae Philosophia in scholis omnibus restituta vigeret.

Neque tamen nobis sententia est derogari quidquam de praeclaris scriptorum meritis quos Societas per aetates eduxit: isthaec immo domestica gloria retinenda conservandaque ita est, ut omnes, sodales maxime Societatis, «magni faciant et diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis doctores quorum laus in Ecclesia est» (Ib., decr. 18). Nam virtute ut erant atque ingenio eximii, data studiosissime opera scriptis Angelici, certis locis sententiam eius copiose luculenterque exposuerunt, doctrinam optima eruditionis supellectile ornaverunt, multa inde acute utiliterque ad errores refellendos novos concluserunt, iis praeterea adiectis quaecumque ab Ecclesia sunt deinceps in eodem genere vel amplius declarata vel pressius decreta; quorum sollertiae fructus nemo quidem sine iactura neglexerit.

At maxime vero cavendum ne forte, ex opinione qua illi floreant eximii auctores ex ipsoque studio quod impendatur eorum scriptis, potius quam adiumenta, ut propositum recte est, ad veram colendam sancti Thomae doctrinam suppeditentur, aliquid oriatur quod uniformi doctrinae officiat: **haec enim nullo pacto speranda erit, nisi Societatis alumni auctori adhaereant uni, ei scilicet iam probato, de quo uno praeceptum, «sequentur sanctum Thomam, eumque uti proprium Doctorem habeant.»** *Ex quo illud consequitur ut, si qua in re ii ipsi auctores quos laudavimus a documentis Magistri communis dissideant, nihil tunc ambigendum quae recta sit via; eamque non difficile erit tenere, propterea quod in documentis quae certo sunt sancti Thomae, non ita fiet facile ut scriptores Societatis ab illo omnes dissentiant.* Quare satis fuerit, prout postulent quaestiones, si ex illis auctoribus **deligant qui cum eodem consentiant,** una opera duplicem capientes utilitatem, sequi se posse Doctorem Angelicum et optimos Societatis auctores.

Nemo autem inducat in animum licere sibi illis promiscue opinionibus uti, quas forte deprehenderit in libris scriptorum Societatis eisque de moderatorum permissu editis. Praeter enim quam quod ex istis non pauci editi sunt antequam certas de studiis leges Societas constituisset, eiusmodi libertati nunquam summi Praepositi non restiterunt, hoc praeterea frequenter aperteque, etiam sub haec tempora, testati, in quibusdam librorum censoribus et diligentiae plus et severi-

tatis fuisse optandum. (Ex litteris P. C. Aquaviva, an. 1613: *De observanda ratione studiorum deque doctrina sancti Thomae;* Ex Ordinatione P. F. Piccolomini *Pro studiis superioribus,* an. 1651; ex Ordinatione P. P. Beckx, an. 1858).

In quo non equidem sumus nescii, quibusdam ex locis *Constitutionum* aliquid veniae datum videri, atque etiam plane hoc esse affirmatum, doctrinae sancti Thomae non ita Societatem habendam esse adstrictam ut «nulla prorsus in re ab eo recedere liceat». (Congr. V, decr. 56).

Verum qui eosdem inter se *Constitutionum* locos conferat diligenter, facile intelliget tantum abesse ut ea ipsa exceptione quidquam de legibus positis derogetur, ut eaedem potius firmius consistant. Quaedam enimvero libera datur facultas, primo, «si quando vel ambigua fuerit sancti Thomae sententia, vel in iis quaestionibus, quas sanctus Thomas non attingit.« (Ib., decr. 41). *In quibus ergo quaestionibus ab illo tractatis sententia eius dilucida emergat, ne in istis quidem liberum est ab ipso deflectere.*

Hic tamen illas revocare iuverit plenas iudicii cautiones, a P. C. Aquaviva datas: «Neque vero satis est binis vel ternis locis niti sparsim collectis, et per consequentias aut inconvenientia, vel cum violentia adductis; quasi credendum sit eam esse opinionem sancti Viri, quia illam quomodumque innuit aliud agens in illis locis. Verum necesse est videre quid sentiat, ubi ex professo id agit, et attente expendere quidquam cohaerenter vel dissonanter afferat cum reliquo corpore doctrinae» (De soliditate et uniformitate doctrinae, 24 maii 1611). Scilicet ne quis vanis artibus per-

suadeat sibi sententiam Angelici ambiguitate patere.

De quaestionibus autem quas ille fortasse non attigit, *principia et capita doctrina eius* penitus cognita sint oportet, ne quae reddantur responsa *ullo modo pugnet cum illis:* apteque hic faciunt quae censuit ea ipsa Congregatio XXIII: «Serio monendos esse nostros tum Theologiae tum Philosophiae professores et Scholasticos, ne proprio iudicio nimium fidentes novas a se conceptas interpretationes pro vera germanaque sancti Thomae doctrina temere aut inconsulte tradant» (Decr. 18).

Similis videtur libera dari facultas, secundo «in quaestionibus mere philosophicis, aut etiam in iis quae ad Scripturas et ad canones pertinent» (Congr. V, decr. 56).

Verum, ut ceteras mittamus, palam est quaestiones philosophicas, si qua ratione ad Theologiam attineant, ab ea dimotas esse facultate; neque adeo multas apud sanctum Thomam reperire licebit, quas non ille ad Theologiam retulerit. In ipsis porro quaestionibus «mere philosophicis», duo opportune incidunt admonenda: alterum, ut «in rebus **alicuius momenti** ab Aristotele (Ib. decr. 41) eademque de causa **a sancto Thoma non recedant;** «ex quo libera cuiquam non erit facultas **nisi in rebus parvi aut nullius momenti:** alterum, ut sibi **interdictum existiment recedere a sancto Thoma** «**in praecipuis, et quae tamquam fundamentum sunt aliorum plurium**» (Ex cit. litt. P. C. Aquaviva, 1611).

Illud postremo in quo ab eo ipso Magistro non temere sit dissentire, quum videlicet aliqua doctrinae forma, sententiae eius contraria, «in catholicis academiis» fere sit «recepta» (Congr. V, decr. 41), neque est commemorandum quidem: namque academiae tales aetate nostra numerantur paucae, nec ulla prope in eis, si huic Apostolicae Sedis audiant dicto, obtinere potest doctrina quae adversetur Angelico, cuius immo vestigiis se omnes, ut debent, insistere profitentur.

Satius fuerit auream sententiam excitare, qua ea ipsa iussa ad exitum roborantur: «Ceterum, ne forte ex iis, quae dicta sunt, sumat aliquis occasionem sancti Thomae doctrinam facile deserendi, praescribendum videtur ut nullus ad docendum Theologiam assumatur, qui non sit vere sancti Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur. Nam qui ex animo sancto Thomae fuerint addicti, certum erit eos ab eo non recessuros, nisi gravate admodum et rarissime» (Congr. V, decr. 56).

Utraque haec probe expendenda conditio. Si enim non id liceat nisi «gravate admodum», nemo sane facere ausit probabili tantum causa, sed gravissima adductus, ipsasque inter opiniones probabiles maluerit esse cum sancto Thoma, ut eam assequatur doctrinam et «uniformem» et «securam» quae dicta est. Quod vero non id liceat nisi «rarissime», hoc si recte ex sua sententia accipiatur, ita nimirum ut non ad omnes universe spectet, sed ad opiniones inter doctores catholicos agitatas restrictisque eis modis quos paulo supra notavimus, non accidet sane ut quispiam a doctrina sancti Thomae recedat, nisi «in una vel altera conclusione, **non alicuius momenti**», nequaquam vero «**in praecipuis et quae tamquam fundamentum sunt multorum plurium**».

Quam exposuimus studiorum rationem de doctrinae delectu habendo, ea plane est quam Societas Iesu, ad praescripta legiferi Patris, alumnis suis omnibus praefinivit, eo consilio ut quam maxime idonei instituantur ad gloriam divinam augendam, utilitatesque procurandas Ecclesiae et proximorum, neque minus ut consulant suo ipsorum profectui. Quae quidem ratio tam aequa visa est nobis atque opportuna, ut, etiamsi per Societatis leges praecepta non esset, **eam Nosmetipsi praecepissemus;** id quod **pro Auctoritate Nostra apostolica in praesentia facimus atque edicimus.**

Hoc tamen et laetitiam affert et auget spem, quod, quum alumnos Societatis Iesu in partem operae quam urgemus, instaurandae sancti Thomae Philosophiae, adsciverimus, nihil praeterea opus sit nisi ut eos ad instituta disciplinae suae custodienda adhortemur. Quod si praescriptis hisce nostris iidem Societatis alumni religiose debent omnes diligenterque parere, religiosius debent ac diligentius, tum Magistri, conformanda ad ea iuventute quam docent, tum studiorum Praefecti, vigilando et curando ut integra ea ipsa valeant et observentur.

Hoc autem *ex conscientia officii* singulariter praestabunt Moderatores, quorum est sodales ad magisteria deligere: neque dubitent sese in ipsa auctoritate nostra tueri, ut quos obtemperanti ingenio viderint et studiosos doctrinae sancti Thomae, eos merito foveant provehantque; quos vero ad illam noverint minus propensos, eos a magisteriis, respectu hominum nullo, submoveant. Ita in pontificia Universitate Gregoriana, quae fere est in conspectu nostro, in quam cogitationes et curas non leves contulimus, laetamur optatis iussisque nostris satis admodum esse factum, eamque videmus propterea et magna frequentia alumnorum et doctrinae fama rectae solidaeque florentem. Fructus iidem tam praestabiles desiderandi quidem non erunt, ubicumque doctrina impertiatur ab iis quos eadem mens agat, eadem aluerint studia.

Ad ultimum, quo **praescripta nostra** firmius permaneant et melius ampliusque succedant, decernimus, ut hae Apostolicae Litterae in forma *Brevis* datae, in universa Societate Iesu sint et ab omnibus habeantur tanquam **definita ac perpetua lex de doctrinarum delectu;** ut ad cetera pontificia documenta, quibus complentur instituta eiusdem Societatis, adiungantur, atque tanquam certa consulantur norma, si quae incidant de recta studiorum ratione cognoscenda quaestiones; ut ipsarum exemplaria Sodalibus, quotquot sunt eruntve Moderatores, vel Magistri rei theologicae aut philosophicae, vel librorum Censores, singulis singula tradantur; ut eaedem, statim ut allatae erunt, itemque quotannis in instauratione studiorum, in Collegiis omnibus vel domiciliis Societatis ubi Philosophiae vel Theologiae studia coluntur, publice ad mensam legantur.

«Iamvero quae Litteris hisce nostris declaravimus et statuimus, ea omnia **rata firmaque in omne tempus permaneant:** irritum autem et inane futurum edicimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis nihil obstantibus quibuscumque» (ed. J. Berthier, O. P., *Sanctus Thomas Aquinas «Doctor Communis» Ecclesiae,* t. I, pp. 244-252. Romae, 1914).

6. *Ex Epistula «Nostra erga» d. d. 25 novembris 1898 ad Ministrum Generalem Ord. Fratrum Minorum.*

«De studio maiorum disciplinarum satis commonstrant Litterae nostrae Encyclicae *Aeterni Patris* qua sit ingrediendum via. *Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris Angelici res aliena est a voluntate nostra, eademque plena periculis.*

Perpetua quidem sunt humanae cogitationis itinera, augeturque accesionibus fere quotidianis scientia rerum ac doctrina: quis autem nolit his rebus sapienter uti, quas recentiorum pariat eruditio et labor? Quin immo adsciscantur hinc libenter quae recta sunt, quae utilia, quae veritati divinitus traditae non repugnantia. Sed *qui vere philosophari volunt, velle autem potissimum debent religiosi viri, primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant.* Eo neglecto, in tanta ingeniorum licentia pronum esse in opinionum portenta delabi atque ipsa Rationalismi peste sensim afflari, nimium iam res et facta testantur. Quid si eiusmodi aliquid in eos obrepat, quibus officium sit instituere cupidam religiosae professionis iuventutem?

Sanctum itaque sit apud omnes beati Francisci alumnos Thomae nomen: vereanturque non sequi ducem quem bene scripsisse de se Iesus Christus testabatur». *(Acta Leonis XIII,* ed. cit., t. V, p. 284-286).

7. *Ex Litteris Encyclicis «Depuis le jour» d. d. 8 septembris 1899 ad Archiepiscopos, Episcopos et clerum Galliarum.*

«Est-il besoin d' ajouter que *le livre par excellence où les élèves pourront étudier avec plus de profit la théologie scolastique, est la Somme Théologique de St. Thomas d' Aquin?* Nous voulons donc que les professeurs aient soin d' en expliquer à tous leurs élèves la méthode, ainsi que les principaux articles relatifs à la foi catholique». *(Acta Leonis XIII,* ed. cit., t. VI, p. 100).

IV

B. Pius X

1. *Ex Motu proprio «Sacrorum Antistitum» d. d. 1 septembris 1910.*

«Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. **Magistros autem mo-**

nemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio,* sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine. (De Ente et Essentia,* proem.).

«Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium exstruatur diligentissime» (AAS. 2 [1910], p. 256-257).

2. *Ex epistula «Sollicitis Nobis» d. d. 8 decembris 1912 ad Ioan. Bapt. Castro, Archiepiscopum Caracensem.*

«Tantum admonemus, ut *in Philosophiae ac Theologiae doctrinis ducem et magistrum Thomam Aquinatem et habendum edicatis et sequendum curetis:* huius enim institutis exculti discipuli errores et fallacias recentiorum facilius cavebunt» (AAS. 4 [1912], p. 25).

3. *Motu propio «Doctoris Angelici», d. d. 29 iunii 1914.*

«Doctoris Angelici nemo sincere catholicus eam ausit in dubium vocare sententiam: «Ordinare de studio pertinet praecipue ad auctoritatem Apostolicae Sedis qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur» (Opusc. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, c. III). Quo nos magno quidem officii munere cum alias functi sumus, tum praesertim die 1 Sept. a. MCMX. quum datis

litteris *Sacrorum antistitum* ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum magistros, quibus cura rite instituendae sacrae iuventutis incumberet, haec in primis eos admonebamus: «Ad studia quod attinet; volumus probeque mandamus, ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et, qua opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit sicubi in Seminariis neglecta fuerint, ea ut in posterum custodiantur, urgere atque exigere. Eadem Religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipimus».

Iam vero, cum dictum hoc loco a nobis esset «praecipue» Aquinatis sequendam philosophiam, non «unice», nonnulli sibi persuaserunt nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, *si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis Sancti Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum.* **At eos multum animus fefellit.** Planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, *nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur.*

Ut enim illa reiicienda est quorumdam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita sancte inviolateque servanda

sunt posita ab Aquinate principia philosophiae, quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quae cum Fide aptissime congruat *(Contra Gentiles,* lib. II, c. II et III); et omnes omnium aetatum errores refutantur; et certo dignosci licet quae Deo soli sunt, neque ulli praeter ipsum attribuenda (Ibid. c. III; et 1.ª q. XII, a. 4; et q. LIV, a. 1); et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera: quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat: «Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda» (Decretalis IIª *Damnamus ergo,* etc. Cfr. S. Thom., q. disp. *De Scientia Dei,* a. 11).

Ceterum, his Thomae principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo.

Tam praeclaram autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam sua prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit, et ad sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque (In Librum Boethii, *De Trinitate*, q. II, a. 3.) adhibuit, nec sana ratio vult negligi, nec religio patitur ulla ex parte minui.

Eo vel magis quod, si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cuius principia cum *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi* variique *Modernismi* erroribus aut communia sunt, aut certe non repugnant.

Nam quae in philosophia Sancti Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur.

«Itaque omnes qui Philosophiae et sacrae Theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium, praesentim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore.

Nunc vero hoc praeterea *edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a Sancto Doctore aberrare eos, qui, quae in ipsius Philosophia principia et pronuntiata majora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant.* **Quod si alicuius auctoris vel sancti doctrina a Nobis nostrisve Decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus, atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret.**

Haec declarare et praecipere Apostolici officii du-

ximus, ut in re maximi momenti, quotquot sunt ex utroque Clero, saeculari et regulari, mentem voluntatemque nostram et penitus perspectam habeant, et ea, qua par est, alacritate diligentiaque efficiant.

Id autem peculiari quodam studio praestabunt christianae Philosophiae sacraeque Theologiae magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant.

Iam, quod proprie attinet ad sacram Theologiam, huius quidem disciplinae studium semper eius luce Philosophiae, quam diximus, illustratum esse volumus, sed in communibus Seminariis clericorum, modo idonei praeceptores adsint, adhibere liceat eorum libros auctorum, qui, *derivatas de Aquinatis fonte doctrinas,* compendio exponunt; cuius generis libri suppetunt valde probabiles.

At vero ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis, atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui nunquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Suma Theologica* habeantur scholae; eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt.

Nam post beatum exitum Sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit.

Etenim tot saeculorum experimentis cognitum est in diesque magis apparet, quam vere Decessor noster Ioannes XXII affirmarit: «Ipse [Thomas] plus illuminavit Ecclesiam, quam omnes alii Doctores: in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae» (Alloc. hab. in Consistorio an MCCCXVIII). Quam sententiam sanctus Pius V, cum Sancti Thomae festum, ut Doctoris, toti Ecclesiae celebrandum indiceret, ita confirmavit: «Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae ex eo tempore quo coelitibus civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, eiusdem memoriam, cuius meritis Orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus» (Bulla *Mirabilis Deus*, data die XI April. an. MDLXXVII).

Atque, ut alia praeconia Decessorum, plurima quidem et praeclara mittamus, libet his verbis Benedicti XIV omnes scriptorum Thomae, praesertim *Summae Theologicae,* laudes complecti: «Cuius doctrinae complures Romani Pontifices, Praedecessores nostri, perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum nos ipsi in libris, quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus; candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Praecepto-

ri totum esse adscribendum». *(Acta Cap. Gen. O. P.*, t. IX, p. 196).

Itaque «ut genuina et integra sancti Thomae doctrina in scholis floreat quod nobis maxime cordi est» ac tollatur iam «illa docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur», ob eamque rem «mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno scientiae christianae detrimento» (Leonis XIII Epist. *Qui te*, data die XIX iunii MDCCCXXXVI), Nos volumus, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae Theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lycaeis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* Sancti Thomae tamquam praelectionum suarum «textum» habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur. Hoc in pluribus Institutis laudabiliter iam est usitatum; hoc ipsum Ordinum Religiosorum Conditores sapientissimi in suis studiorum domiciliis fieri voluerunt, nostris quidem Decessoribus valde probantibus: nec qui post Aquinatis tempora fuerunt sancti homines alium sibi summum doctrinae magistrum habuerunt nisi Thomam. Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur Theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quidquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi academicos in sacra Theo-

logia gradus, nisi quod hic a nobis praescriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu «Facultates» Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in Theologia gradus aut similia documenta conferendi, vel tantum intra domesticos fines, eadem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa, etiamsi minime voluntaria, huic praescriptioni Nostrae religiose non obtemperarint» (AAS. 6 [1914], p. 336-341).

4. *Declaratio S. C. de Seminariis et Stud. Universitatibus, qua theses quaedam in doctrina S. Thomae Aquinatis contentae et a philosophiae Magistris propositae, adprobantur.*

«Postquam Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X Motu proprio *Doctoris Angelici*, edito die XXIX iunii MCMXIV, salubriter praescripsit, ut in omnibus philosophiae scholis principia et maiora Thomae Aquinatis pronuntiata sancte teneantur, nonnulli diversorum Institutorum magistri huic Sacrae Studiorum Congregationi *theses aliquas* proposuerunt examinandas, quas ipsi, tamquam ad praecipua S. Praeceptoris principia in re praesertim metaphysica exacta, tradere et propugnare consueverunt.

Sacra haec Congregatio, supra dictis thesibus rite examinatis et Sanctissimo Domino subiectis, de eiusdem Sanctitatis Suae mandato, respondet, **eas plane continere Sancti Doctoris principia et pronuntiata maiora.**

Sunt autem hae:

1. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tanquam primis et intrinsecis principiis necessario coalescat.

2. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus exsistit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

3. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus; cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coarctatur, ac tanquam distinctis realiter principiis essentia et esse constant.

4. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis.

5. Est praeterea in omni creatura realis compositio subiecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus; ea vero, nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, intelligi non posset.

6. Praeter absoluta accidentia est etiam relativum, sive *ad aliquid*. Quamvis enim *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhaerens, saepe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distinctam a subiecto.

7. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex: essentiae cum esse et substantiae cum accidentibus.

8. Creatura vero corporalis est quoad ipsam essentiam composita potentia et actu; quae potentia et actus ordinis essentiae, materiae et formae nominibus designantur.

9. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumpitur, nec ponitur in praedicamento nisi reductive ut principium substantiale.

10. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum eius quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quae extensionem substantiae tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidens.

11. Quantitate signata materia principium est individuationis, idest numericae distinctionis, quae in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

12. Eadem efficitur quantitate ut corpus cir-

cumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse potest.

13. Corpora dividuntur bifariam: quaedam enim sunt viventia, quaedam expertia vitae. In viventibus, ut in eodem subiecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma subtantialis, animae nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

14. Vegetalis et sensilis ordinis animae nequaquam per se subsistunt, nec per se producuntur, sed sunt tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto composito, eo ipso per accidens corrumpuntur.

15. Contra, per se subsistit anima humana, quae, cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

16. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit eiusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo et animal et vivens et corpus et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

17. Duplicis ordinis facultates, organicae et inorganicae, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant: priores, ad quas sensus pertinet, in composito subiectantur; posteriores, in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

18. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint gradus intellectualitatis. Adaequatum intellectionis obiectum est communiter ipsum ens; proprium vero intellectus humani obiectum in praesenti statu unionis, quidditatibus abstractis a conditionibus materialibus continetur.

19. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibilibus. Cum autem sensibile non sit intelligibile in actu, praeter intellectum formaliter intelligentem, admittenda est etiam in anima virtus activa, quae species intelligibiles a phantasmatibus abstrahat.

20. Per has species directe universalia cognoscimus; singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmata; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

21. Intellectum sequitur, non praecedit, voluntas, quae necessario appetit id quod sibi praesentatur tanquam bonum ex omni parte explens appetitum; sed inter plura bona, quae iudicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit. Sequitur proinde electio iudicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

22. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta sunt, ducto argu-

mento ab effectibus ad causam: videlicet a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad esse absolutum et necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique ab ordine universi ad intellectum qui res ordinavit, disposuit et dirigit in finem.

23. Divina essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius Esse identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, ac per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

24. Ipsa igitur puritate sui *Esse* a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum nonnisi per creationem a Deo procedere potuisse; deinde, virtutem creativam, qua per se attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse comunicabilem; nullum denique creatum agens in esse cuiscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa» (AA. 6 [1914] 383-386.

V

Benedictus XV

1. *Responsio S. C. de Seminariis et Stud. Univ. d. d. 7 martii 1916, ad excitata quaedam dubia circa Motu proprio «Doctoris Angelici» et circa XXIV theses philosophicas a S. C. Studiorum recognitas et probatas.*

«Cum Summus Pontifex Pius X, fel. rec., Motu proprio *Doctoris Angelici,* edito die XXIX iunii MCMXIV, praescripserit ut in Universitatibus, magnis Lycaeis, Collegiis, Seminariis, Institutis quae habent ex Apostolico indultu potestatem gradus academicos et lauream in Sacra Theologia conferendi, *Summa Theologica* S. Thomae tanquam textus habeatur, et cum Sacra Studiorum Congregatio vigintiquatuor theses philosophicas, sibi ad examen propositas, germanam S. Thomae doctrinam continere, die XXIX iulii eiusdem anni, declaraverit, sequentia dubia ad hanc S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus delata sunt:

I. Utrum *Summa Theologica* S. Thomae habenda sit in Scholis de quibus supra, uti textus consultationis, vel uti textus praelectionum, saltem quoad partem scholasticam.

II. Utrum *omnes vigintiquatuor theses philosophicae*, a S. Studiorum Congregatione probatae, germanam S. Thomae doctrinam revera contineant, et,

in casu affirmativo, utrum *imponi debeant* Scholis Catholicis *tenendae*.

His dubiis Emi et Rmi. DD. Cardinales huius S. Congregationis, in plenario coetu, habito diebus XXII et XXIV, mense februario huius anni, ita respondendum censuerunt:

Ad I. *Summa Theologica* S. Thomae habenda est uti textus praelectionum quoad partem scholasticam quaestionum; ita scilicet ut, una cum aliquo textu, qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat, habeatur prae manibus et explicetur *Summa Theologica* quoad partem scholasticam.

Ad II. *Omnes illae vigintiquatuor theses philosophicae germanam S. Thomae doctrinam exprimunt, eaeque proponantur veluti tutae normae directivae.*

Die XXV eodem mense eodemque anno, SSmus. Dominus Noster Benedictus XV, in audientia infrascripto Secretario impertita, sententiam Emorum Patrum suprema sua auctoritate ratam habuit et confirmavit» (AAS. 8 [1916] p. 156-157).

2. *Ex Epistula Cardinalis G. Bisleti, Praefecti S. C. de Sem. et Stud. Univ. d. d. 30 septembris ad R. P. D. Alfredum Baudrillart, Rectorem Instituti Catholici Parisiensis, de doctrina S. Thomae Aquinatis impensius excolenda.*

«...La formation doctrinale est la première et la plus indispensable. Vous savez en quel sens doit s'orienter cette formation dans les Universitès catholiques. «Des Papes se succedent — disait le Card. Billot, une des gloires de votre patrie — Papes de nationalitè diffèrente, avec des tendences et des caractères très divers, mais tous, depuis Jean XXII jusqu'à Benoit XV, n'ont qu'une voix pour recommander Saint Thomas d'Aquin: omnium tamen in commendando Aquinate una invariata sententia est» *(Oratio habita die 11 martii 1915, pro instauratione Academiae S. Thomae).*

Il suffit pour s'en convaincre, de parcourir, même rapidement, l'ouvrage dans le quel le R. P. Berthier, O. P., a rèuni, comme en une chaîne d'or, ces temoignages des Souverains Pontifs en faveur de la doctrine de l'Ange de l'Ècole *(S. Thomas Doctor Communis Ecclesiae*, 1914).

Je me limite a vous rappeler les paroles de l' Encyclique *Depuis le jour* que le St. Père Léon XIII adressa, le 8 septembre 1899, au Clergé de vostre pays, et que l' on peut appeler la *Magna Charta* pour la formación intellectualle et morale des élèves des Séminaires: «est-il besoin d' ajouter que le libre par excellence ou les élèves pourront étudier avec plus de profit la Théologie scolastique, est la Somme Théologique de St. Thomas d' Aquin? Nous voulons donc que les Professeurs aient soin d' en expliquer à tous leurs élèves la méthode, ainsi que les principaux articles relatifs à la foi catholique».

Deux ans après (1 oct. 1901) le regretté Pontife ecrivait a l' Évêque de Verdun: «*que ceux qui s' appliquent à l' enseignement et à l' étude de la Théolo-*

gie et de la Philosophie, considèrent comme leur devoir capital, après avoir laissé de côté les inventions d' une vaine philosophie, de suivre St. Thomas d' Aquin et de le cultiver comme leur maître et leur chef».

Et dans la Lettre Encyclique *Aeterni Patris* à tous les Évêques: «*providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem iis rivis quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere, certa et concors doctorum omnium sententia est*».

Dans le même sens, le pape Pie X de s. m. écrivait, le 6 mai 1907, aux Évêques Protecteurs de votre Institut: «de philosophia petimus a vobis, ne unquam patiamini in Seminariis vestris minus sancte observari quae providentissime Litteris Encyclicis *Aeterni Patris* Decessor Noster praecepit. **Permagni ad custodiam et tutelam fidei hoc interest...** Ergo vos, vestros alumnos sacri ordinis non debetis velle philosophiae praeceptis tantum imbui, quantum in legitima litterarum institutione praescriptum est publice, sed eo uberius et altius, nempe *secundum disciplinam Thomae Aquinatis, ut solidam deinceps possint Sacrae Theologiae reique Biblicae scientiam percipere.*

La pensée de Sa Sainteté Benoît XV n' est pas différente. Dans un Bref adressé au R. P. Hugon, O. P., et publié dans les *Acta Apostolicae Sedis* du 7 juin 1916, le Souverain Pontife écrivait: «*sanctum et salutare est, ac pene necessarium in scholis catholicis, ubi ad philosophiae ac theologiae scientiam instituitur sacra iuventus, summum haberi magistrum Thomam Aquinatem*».

Et dans le Motu Proprio du 3 decembre 1914 en faveur du Collège thèologique de Bologne: «probe

novimus debito in honore ibidem esse Thomam Aquinatem, cuius doctrinas decessores Nostri illustres, Leo XIII et Pius X, maximis extulerunt laudibus, easque scholis catholicis religiose retinendas praescripserunt... Statuimus ut Archicancellarius et Collegium theologorum Bononiense - servatis rite praescriptionibus vel sacri Consilii studiis provehendis in primisque decreto *Doctoris Angelici*, die XXIX iunii huius anni edito, *de summis Thomae principiis in philosophia sancte tenendis deque ipsa Summa Theologica in scholis theologiae praelegenda*, vel aliis quae Sedes Apostolica praeceperit praecepturaque sit, - academicos theologiae gradus et lauream conferre possit...»

Et enfin le même Pontife daigna approuver et confirmer la rêponse de cette Congrègation, du 7 mars 1916, touchant l'ètude du Docteur Angèlique» (AAS. 8 [1916] p. 412-414).

3. *Ex Codice Iuris Canonici, d. 27 maii 1917 promulgato.*

«Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores *omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant*» (can. 1366 § 2. Cf. can. 589 § 1).

4. *Ex Decreto S. C. de Sem. et Stud. Univ. «Ordinamento dei Seminari», ad Italiae Episcopos, d. d. 30 aprilis 1920.*

«La Filosofia razionale abbia sull' insegnamento il primato che le è dovuto; essa è la vera scienza del l'uomo. *La Filosofia, degna di questo nome, è la tradizionale, la Scolastica, coltivata dai Santi Padri ed elevata dal genio dell'Angelo delle Scuole a tal grado di perfezione, che non sarà forse possibile raggiungere, molto meno sorpassare.* I vantaggi, che la Filosofia Scolastica reca allo studio della Teologia rivelata, sono enumerati, con mirabile elevatezza di concetto ed eleganza di espressione, nella celebre Enciclica *Aeterni Patris* del S. P. Leone XIII. **Le prescrizioni di questo Pontefice, riguardo all'insegnamento della Filosofia Scolastica secondo S. Tommaso, sono perentorie.**

Citiamo le sue stesse parole: «*Doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare,* **eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant.** Eamdem Academiae a Vobis institutae, aut instituendae, illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant». (Epist. Encycl. *Aeterni Patris*, 4 aug. 1879),

Anche più esplicite sono gli ordini del S. P. Pio X: «Volumus probeque mandamus ut Philosophia Scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, Philosophiam Scholasticam, quam sequendam praescribimus eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: *de qua*

quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omnino vigere volumus et, qua sit opus, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere... *Magistros autem monemus ut rite hoc teneant: Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse».* (Litt. Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907; cfr. Motu Proprio *Doctoris Angelici*, 29 jun. 1914).

Nello stesso senso si è più volte espresso il Sommo Pontefice Benedetto XV. Così nel Motu Proprio *Sacrae Theologiae*, del 3 dicembre 1914, conferendo al Collegio dei Teologi di Bologna alcuni privilegi, impone le seguenti condizioni: «servatis riti praescriptionibus vel sacri Consilii studiis provehendis — in primisque decreto *Doctoris Angelici* die 29 iunii huius anni edito de summis Thomae Aquinatis principiis in philosophia sancte tenendis deque ipsa Summa Theologica in Scholis theologiae praelegenda, — vel aliis quae sedes Apostolica praeceperit praecepturaque sit» (AAS. 6, 691). E nell' altro Motu Proprio *Non multo post*, del 31 dello stesso mese e anno, che riguarda l' Accademia Romana di S Tommaso, si esprime in questi termini: «Nos vero, cum, aeque ac Decessores Nostri, persuasissimum habeamus de illa tantum philosophia Nobis esse laborandum quae sit *secundum Christum* (Colos. II, 8), ac propterea *ipsius philosophiae studium ad principia et rationem Aquinatis omnino exigendum esse, ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis,*

hanc S. Thomae Academiam, non minus quam illis, Nobis esse curae volumus appareat». (AAS. 7, 5-7). Tali disposizioni sono confermate nel Codice di Diritto Canonico (can. 1366, § 2)» (ed. *Enchiridion Clericorum*, n.° 1101. Romae, 1938).

V I

Pius XI

1. *Ex Litteris S. C. de Sem. et Stud. Univ. »Vixdum haec Sacra Congregatio»*, ad Episcopos Germaniae, d. d. 9 octobris 1921.

«Humanitatis et litterarum studio expoliti, Ecclesiae alumni praestantissima sacrae Theologiae studia ne attingant, prius quam diligentem adhibuerint praeparationem in studio Philosophiae. *Philosophiam, hoc dignam nomine, eam intelligimus, quae, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus scholasticis naviter exculta, opera et ingenio Sancti Thomae Aquinatis ad tam excelsum perfectionis et dignitatis gradum evecta est, ut iam sublimius assurgere non posse videatur. Hinc mirum non est, si Romani Pontifices sapientiam Doctoris Angelici summis semper laudibus extulerint,* **eamque studiosae iuventuti colendam proposuerint atque praescripserint.**

Liceat hic unum vel alterum afferre testimonium. Leo XIII, f. r., qui mirabili illa Encyclica epistola *Aeterni Patris,* 4 aug. 1879, Philosophiam Christianum instaurandum curaverat, ita ad Peruvianos Episcopos rescripsit: «In moderanda pro Seminariis vestris ratione studiorum, vobis, Venerabiles Fratres, ob oculos esse volumus quae Nosmet Encyclicis Litteris ea de re praescripsimus: ut nempe, *in philosophicis doctrinis tradendis, maximus Angelico Doctori Thomae Aquinati habeatur honos, et quae ex huius voluminibus iugi et praedivite vena dimanat sapientia, a Romanis Pontificibus perpetuis honestata laudibus, studiosae iuventuti large effuseque impertiatur».* (Breve *Inter graves,* 1 maii 1894).

Pius vero X, in Litteris Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907, haec decernit: «Volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scholasticam, eam praecipue intelligimus quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita, de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere... Magistros autem monemus ut rite hoc teneant: Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse».

Decessorum suorum vestigiis inhaerens, Summus Pontifex Benedictus XV in Motu Proprio *de Romana Sancti Thomae Academia,* 31 dec. 1914, haec habet: «Nos vero, cum aeque ac Decessores Nostri, persuasissimum habeamus de illa tantum philosophia Nobis esse laboradum quae sit secundum Christum (Colos, II, 8), ac propterea ipsius philosophiae studium ad principia et rationem Aquinatis omnino exigendum

esse, ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis, hanc S. Thomae Academiam, non minus quam Illis, Nobis esse curae volumus appareat». (Motu Proprio *Non multo post*, 31 dec. 1914: AAS. 7, 6-7). Quas praescriptiones his paucis complectitur et confirmat Codex Iuris Canonici: Philosophiae rationalis ac Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant (can. 1366, § 2)». (ed. *Enchiridion Clericorum*, n.° 1126).

«Posito Philosophiae Scholasticae fundamento, theologicae doctrinae tamquam aedificium diligentissime extruatur. Qua ratione autem Theologia Philosophiae fundamento nitatur, accipimus ex S. Thoma: «In sacra doctrina philosophia possumus tripliciter uti. *Primo*, ad demonstrandum ea quae sunt praeambula fidei, quae necessaria sunt in Fidei scientia, ut ea, quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse, Deum esse unum, et huiusmodi de Deo vel de creaturis in philosophia probata, quae fides supponit. *Secundo*, ad notificandum per aliquas similitudines ea quae sunt Fidei, sicut Augustinus in libris de Trinitate utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandam Trinitatem. *Tertio*, ad resistendum his, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria» (In Boetium *de Trinitate*, q. 2, a. 3).

Unde patet Philosophiam erga Theologiam revelatam dumtaxat famulatus officio fungi. Siquidem

Theologia non modo Philosophiae, sed et ceteris disciplinis humanis longe antecellit: tum praestantia obiecti, cum principaliter sit de his, quae humanam excedunt rationem; tum ratione certitudinis, quae lumine nititur scientiae divinae, falli et fallere nesciae; tum ratione finis, quae est aeterna hominum beatitudo. (Summa Theol. I, q. 1, a. 5.). Hinc iure Summus Pontifex Pius X ad Episcopos orbis catholici: «Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant (Litt. Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907)». (ed. *Enchiridion Clericorum*, n.° 1130).

«Theologiae dogmaticae studium pertractandum est et ipsum ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam est principia (can. 1366, § 2).

Quaenam sit Theologiae Scholasticae indoles et excellentia, satis colligitur ex his Summi Pontificis Sixti V verbis: «Huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendos et refellendos; his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi et seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Fidei dogmatibus

confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est». (Bulla *Triumphantis Ierusalem*, 14 mart. 1588).

Praeclarae autem dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, ab eodem Pontifice sic enumerantur: «Apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia, multis praestigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefiunt et denudantur». (Bulla laud. *Triumphantis Ierusalem*). Quae verba satis evincunt cur adversarii catholici nominis Theologiam scholasticam summopere horreant.

Nec tamen desunt catholicae veritatis magistri et scriptores, qui ita methodum, quam vocant positivam, extollunt et sequuntur, ut scholasticam methodum, tamquam temporum nostrorum necessitatibus et scientiarum progressui haud congruentem, despectui habeant, et Ecclesiae hostibus, saltem factis, morem gerant. Iure igitur S. P. Pius IX hanc damnavit propositionem: «Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt». (*Syllabus*, prop. 13). Et Pius X: «Certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper, nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum» (Litt. Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907).

Utraque igitur methodus — *positiva* et *scholastica* — est adhibenda, cum utraque ad demonstrationem catholicae veritatis sit necesaria; sed utriusque usus ita debet temperari, ut altera non modo non excludat alteram, sed adiuvet etiam et perficiat. Hinc idem S. P. Pius X: «Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio, catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit), Theologiam *positivam*, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae Theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimentum. capiat» (Encycl. laud. *Pascendi)*.

In Universitatibus, magnis Lycaeis, Collegiis, Seminariis, Institutis quae habent vel habitura sint ex Apostolico Indulto potestatem gradus academicos et Lauream in S. Theologia conferendi, *Summa Theologica* S. Thomae habenda est uti *textus praelectionum* in parte scholastica quaestionum; ita scilicet ut, una cum aliquo textu, qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat, habeatur prae manibus et explicetur *Summa Theologica* quoad partem scholasticam. In aliis vero Seminariis seu Institutis, textus praelectionum confectus sit *ad mentem ipsius Angelici Doctoris* (Pius X, Motu Proprio *Doctoris Angelici*, 29 iunii 1914, S. C. de Semin. et Stud. Universit., Decr. d. d. 7 martii 1916)» (*ibid*, n.is 1132-1134).

2. *Ex Epistula Apostolica «Officiorum Omnium» ad Praefectum S. C. de Sem. et Stud. Univ.: De Seminariis et de studiis clericorum, d. d. 1 augusti 1922.*

«Alterum in quo singularem Episcoporum vigilantiam requirimus, ad altiora adolescentis cleri studia pertinet. Omnino quae hac de re sunt in iure canonico providentissime statuta (Cod. I. C., can. 1365 et 1366), ea sancte inviolateque observari debent, siquidem consilium est sacerdotum parare copiam, qui tantae magnitudini muneris impares non sint. Confecto igitur litterarum curriculo, nostri alumni, ut sacrae Theologiae aptam preparationem adhibeant, minimum biennio diligentissime in Philosophiae studio versentur. *Scholasticam* intelligimus Philosophiam, a sanctis Patribus scholaeque Doctoribus quadam laborum continuatione naviter expolitam, ac denique *opera et ingenio Thomae Aquinatis ad summum perfectionis gradum adductam,* quam quidem decessor Noster illustris Leo XIII «Fidei propugnaculum ac veluti firmum Religionis munimentum» (Litt. Enc. *Aeterni Patris)* appellare non dubitavit. Profecto ipsius Leonis magna laus est Philosophiam Christianam, excitato Doctoris Angelici amore cultuque, instaurasse: atque etiam sic iudicamus, omnium rerum, quas in diuturno Pontificatu pro Ecclesia et pro societate civili utilissime gesserit, hoc adeo fuissc caput, ut si cetera non adessent, haec una res satis esset ad tanti Pontificis nomen inmortalitati commendandum. Itaque *in primis sibi curae habeant magistri Philosophiae in hac disciplina clericis tradenda non solum*

rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia sequi sancti Thomae: idque eo faciant vel studiosius, quod sciunt nullum Ecclesiae Doctorem *modernistis* ceterisque fidei catholicae hostibus ita esse terrore ac formidine, ut Aquinatem.

Quod autem de Philosophia dicimus, idem est de sacrae Theologiae disciplina intelligendum. Nam, ut Sixti V verbis utamur: «Huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, certe semper maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretendas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas; his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi et seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecesaria est» (Bulla *Triumphantis* an. 1588).

Etenim id quod efficit ut hoc disciplinae genus *vim scientiae veri nominis habeat*, in eoque, ut desideratissimus decessor Noster praeclare ait (Benedictus XV, Motu Proprio *De Romana Sancti Thomae Academia*, an. 1914), «plena sit quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis», nihil est aliud nisi *Philosophia Scholastica, duce et magistro Aquinate, in usum ipsius sacrae disciplinae conversa.* Hinc «apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille or-

do et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia, multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patifiunt et denudantur». (Sixtus V, *loc. cit.).*

Consequens est, non bene sacrae iuventuti consulere, qui omnem de Theologia institutionem scholastica ratione neglecta, ad *positivam methodum*, ut dicitur, exigendam putent; multoque minus eos officio suo satisfacere, qui huius doctrinae magisterium non aliter exerceant, nisi ordinem seriemque dogmatum atque haeresum doctis disquisitionibus exsequendo. Illa enim positiva methodus necessario quidem scholasticae adiungenda est, sed sola non sufficit; cum vere comparari nostros oporteat ad Fidei veritatem non modo convincendam, sed illustrandam etiam ac defendendam; Fidei autem dogmata contrariosque errores ex ordine temporum recensere, ecclesiasticae quidem historiae est, non vero munus Theologiae» (AAS. 14 [1922] p. 454-456).

3. *Litterae Encyclicae «Studiorum Ducem», saeculo sexto exeunte a sanctorum caelitum honoribus Thomae Aquinati decretis, d. d. 29 iunii 1923.*

«Studiorum Ducem sacrae inventuti in maioribus disciplinis haud ita pridem per apostolicam epistolam Nos, Iuris Canonici statuta confirmantes, habendum esse ediximus Thomam Aquinatem. Eiusdem rei ma-

gis ac magis nostrorum animis inculcandae eisque declarandi quo pacto in schola tanti Doctoris utilissime versentur, praeclara se Nobis dat occasio, appropinquante die cum abhinc sexcentis annis rite is est in Sanctorum numerum adscriptus.

Nam mirabili quadam cognatione inter se scientia veri nominis et, illa virtutum omnium comes, pietas continetur; cumque Deus ipsa veritas bonitasque sit, profecto ad Dei gloriam animarum salute quaerendam — quod est Ecclesiae praecipuum propriumque munus — satis non foret sacrorum administros bene esse a cognitione rerum instructos, nisi iidem idoneis virtutibus abundarent.

Haec autem doctrinae cum pietate, eruditionis cum virtute, veritatis cum caritate societas, singularis prorsus exstitit in Angelico Doctore; cui quidem iure etiam insigne Solis attributum est, utpote qui, scientiae lumen mentibus afferendo, igniculos virtutum in voluntates iniiciat.

Qui est igitur omnis sanctitatis et sapientiae fons Deus, omnino videtur ostendere in Thoma voluisse quemadmodum altera ex his rebus alteram adiuvet, id est virtutum exercitatio ad veritatis contemplationem componat, ac vicissim subtilior veritatis meditatio virtutes expoliat atque perficiat.

Etenim qui pure vivat et integre domitasque habeat virtute cupiditates, is quidem, tamquam magno impedimento solutus, multo facilius tollere ad caelestia potest animum altiusque Dei arcana introspicere, secundum illud ipsius Thomas: «Prius vita quam doctrina: vita enim ducit ad scientiam veritatis» (Comment. in Matth., c. V); idem vero, cum in cognoscen-

dis iis quae sunt supra naturam, studii plurimum collocaverit, ex hoc ipso ad perfecte vivendum non parum se sentiet excitari; neque enim solivaga aut ieiuna, sed valde actuosa dicenda est tantarum rerum scientia, quarum pulchritudo totum hominem ad se rapiat atque convertat.

Haec sunt in primis, Venerabiles Fratres, quae licet ex hac saecularis memoriae recordatione discere; sed quo eadem clarius apareant, visum est Nobis de Thomae Aquinatis et sanctitate et doctrina breviter in his Litteris disserere, tum demonstrare quae inde fluant sacro ordini maximeque sacrorum alumnis, denique christiani nominis universitati opportuna documenta.

Quaecumque in genere morum sunt virtutes, Thomas quidem omnes praeclarissimas habuit, easque ita copulatas et connexas, ut quemadmodum ipse vult, coalescerent in caritate «quae dat formam actibus omnium virtutum». (II^{a}-II^{ae}, q. XXIII, a. 8; I^{a}-II^{ae}, q. LXV).

Sed si sanctitatis huius notas tamquam proprias et peculiares quaerimus, prima omnium occurrit ea virtus, unde quaedam cum angelicis naturis visa est esse Thomae similitudo: castimoniam dicimus, quam cum in praesentissimo periculi discrimine servasset illaesam, dignus est habitus quem mystica zona angeli cingerent.

Cum hac tanta puritatis laude par coniuncta erat bonorum fluxorum fuga itemque despicientia in contemnendis honoribus: constat summa eum constantia

propinquorum, qui se ad percommodam saeculi condicionem omni ope cogerent, fregisse pervicaciam, ac deinde apud Pontificem Maximum, sacras infulas offerentem, orando effecisse, ne formidatum sibi onus imponeretur.

At id, quo Thomae sanctitudo maxime distingitur, ipse est qui appellatur a Paulo *sermo sapientiae* (I Cor. XII, 8); atque illa duplicis sapientiae, acquisitae et infusae, quae dicuntur, copulatio, quacum nihil tam apte quam humilitas, quam orandi studium, quam Dei caritas convenit.

Humilitatem quidem instar fandamenti fuisse quo ceterae virtutes Thomae niterentur, patet consideranti quam is obedienter in communis vitae consuetudine fratri laico obtemperaret; nec minus perspicuum est legenti eius scripta, ex quibus tam magnum redolet erga Ecclesiae Patres obsequium; ut is quidem «veteres Doctores quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus» (Leo XIII, ex card. Caietano, litt. Encycl. *Aeterni Patris*, d. IV aug. a MDCCCLXXIX) videatur: id ipsum autem egregie illustratur ex eo quod divini ingenii facultates minime in suam ipsius gloriam, sed in emolumentum veritatis impenderit.

Ita dum philosophi suae propriae claritudini fere serviunt, hic in tradenda doctrina omnino sese obscurare studet, ideo nimirum ut sola de se lux caelestis veritatis effulgeat.

Haec igitur humilitas, cum munditie illa cordis, quam memoravimus, summaque sanctarum precum assiduitate coniuncta, docilem mollemque faciebat Thomae animum ad afflatus et lumina Sancti Spiritus

et accipienda et sequenda, in quibus quidem ipsa contemplationis principia consistunt.

Quae ut desuper impetraret, saepe omni cibo abstinere, saepe totas comprecando vigilare noctes, identidem ex ingenuae pietatis impetu ad Sacramenti augusti tabernaculum applicare caput, assidue vero ad Iesu cruciflxi imaginem oculos animumque dolenter convertere, confessus familiari suo, sancto Bonaventurae, ab eo maxime libro se, quantum sciret, didicisse. Vere igitur cadit in Thomam illud vulgatum de Dominico Patre legifero, qui nisi cum Deo aut de Deo non locutus unquam fuisse dicitur.

Cum autem in Deo, tamquam prima causa eodemque rerum fine ultimo, contemplari omnia soleret, pronum ei erat, sicut in sua *Summa theologica*, sic in vita unam et alteram quae memorata est, sequi sapientiam; quarum haec apud ipsum est descriptio: «Per sapientiam quae studio humano acquiritur... habetur rectum iudicium de rebus divinis secundum perfectum usum rationis... Sed altera est desursum descendens...et de rebus divinis iudicat, propter quamdam connaturalitatem ad ipsas. Hoc est donum Spiritus Sancti... quo fit homo perfectus in divinis, non solum discens sed et patiens divina» (II^a-II^{ae}, q. XLV, a. 1, ad 2, et a. 2 c.).

Haec igitur a Deo delapsa seu infusa sapientia, ceteris comitata donis Sancti Spiritus, perpetuum in Thoma accepit incrementum, aeque ac caritas, omnium domina et regina virtutum. Etenim illa huic erat certissima doctrina, amorem Dei numquam non oportere crescere «ex ipsa forma praecepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* totum enim et

perfectum idem sunt... Finis praecepti caritas est, ut Apostolus dicit (I Tim. 1, 5), in fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad finem» (II^a-II^{ae}, q. CLXXXIV, a. 3). Quae ipsa est causa quare sub praeceptum perfectio caritatis cadat tamquam illud quo omnes pro sua quisque condicione niti debent. Porro autem quia «caritas proprie facit tendere in Deum uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo» (II^a-II^{ae}, q. XVII, a. 6, ad 3.); idcirco in Thoma continenter, cum geminata sapientia, Dei amor augescens, ad extremum perfectam sui oblivionem ingenuit, adeo ut Iesu crucifixo ita se alloquenti: *Bene, Thoma, scripsisti de me*, eidemque roganti, *quam recipies a me pro tuo labore mercedem?*, responderit: *Domine, nonnisi te.*

Itaque, caritate instinctus, aliorum utilitatibus impense servire non cessabat, vel optimos libros conficiendo, vel fratres laborantes adiuvando, vel in subsidium pauperum suis se vestimentis exspoliando, vel etiam ad sanitatem aegrotantes restituendo, ut cum in Basilica vaticana, ubi per Paschalia solemnia concionabatur, mulierem, quae vestis eius laciniam tetigerat, ab inveterato sanguinis fluxu repente liberavit.

Atque hic *sermo sapientiae* a Paulo laudatus in quo alio Doctore, quam in Angelico, luculentior? Qui docendo non satis habet erudire hominum mentes, sed etiam ad Dei amorem, omnium effectorem rerum, redamandum studiosissime impellit voluntates. «Amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus»; sic enim pulcherrime affirmat (I, q. XX, a. 2);

et hanc divinae bonitatis diffussionem, singula mysteria pertractans, illustrare non desinit. «Unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se communicet, quod quidem maxime a Deo fit... per Incarnationem» (IIIª, q. I, a. 1).

Nihil vero tam clare huius et ingenii et caritatis vim ostendit, quam officium ab ipso compositum de augusto Sacramento; quod erga sacramentum quomodo in omni vita fuisset affectus, illa morientis vox, cum sanctum Viaticum suspiceret, declaravit: *Sumo te, pretium redemptionis animae meae, pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi.*

Sic leviter adumbratis magnis Thomae virtutibus, iam non difficile intelligitur eiusdem praestantia doctrinae; cuius quidem in Ecclesia mirum quantum vales auctoritas. Profecto Nostri decessores tamquam uno ore semper eam laudibus extulerunt. Ipso etiam tunc vivo, Alexander IV ita prescribere non dubitavit; «Dilectio filio, Thomae de Aquino, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis scientiae per gratiam Dei assecuto.»

Postquam autem e vivis excesserat, eius non solum virtutes sed doctrinam etiam consecrare visus est Ioannes XXII, cum ad Patres cardinales verba faciens, memorabilem illam edidit in Consistorio sententiam: «Ipse plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae».

Cum igitur hic intelligentiae scientiaeque, humana maioris, existimatione floreret, eum Pius V in sanctorum Doctorum numerum rato *Angelici* titulo adscripsit. Ceterum Ecclesiae de hoc Doctore opinionem maximam quid tam aperte indicat quam quod Patres Tridentini duo dumtaxat volumina, Sacram Scripturam et *Summam theologicam*, sibi consiliantibus patere super altare reverenter proposita voluerunt? Atque in hoc genere, ne persequamur ex ordine omnia Sedis Apostolicae documenta, quae innumerabilia sunt, feliciter nostra memoria contigit, ut, Leonis XIII auctoritate et instantia, Aquinatis disciplina revivisceret; quod quidem illustris decessoris Nostri promeritum tanti est, ut, quemadmodum alias diximus, si multa praeclara sapientissime ab eo constituta gestave non essent, ad immortalem Leonis gloriam hoc unum sufficeret.

Iisdem mox vestigiis ingressus est sanctae recordationis Pontifex, Pius X, praesertim Motu proprio *Doctoris Angelici*, in quo illud praeclare dictum: «Post beatum exitum sancti Doctoris nullum habitum est ab Ecclesia Concilium in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit».

Proxime autem, Benedictus XV, decessor Noster desideratissimus, plus semel id ipsum sibi placere professus est: cui dandum est laudi quod iuris canonici Codicem promulgavit, ubi Angelici Doctoris «ratio, doctrina et principia» plane consecrantur. (Cfr. can. 1366, § 2).

Nos vero haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus ut non modo Angelicum, sed etiam *Communem* seu Universalem Ecclesiae Docto-

rem appellandum putemus Thomam, **cuius doctrinam,** ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, **suam Ecclesia fecerit.**

At enim, quia prope infinitum est, quascumque rationes in hac causa decessores Nostri explicarunt, cunctas hic exsequi, tantum videtur Nobis ostendere, et Thomam supernaturali animatum spiritu, unde vivebat, scripsisse, et eius scripta, in quibus omnium sacrarum disciplinarum principia legesque tradantur, universalis dicenda esse naturae.

Etenim sive docendo sive scribendo hic divina pertractat, praeclarissimum dat theologis documentum illius quae inter sensus animi et studia intercedere debet necessitudo maxima. Nam, quemadmodum regionem aliquam longinquam bene habere cognitam non dicitur qui eius descriptionem quamvis subtilem cognoverit, sed qui aliquamdiu ibidem vixerit, sic intimam Dei notitiam sola scientiae pervestigatione nullus assequitur, nisi etiam cum Deo coniunctissime vivat. Iam vero sancti Thomae huc omnis theologia spectat, ut ad intime in Deo vivendum nos adducat. Ut enim puerulus ad Montem Casinum finem non faciebat rogandi *quid est Deus?*, ita quicumque ab eo sunt compositi libri, de mundi creatione, de homine, de legibus, de virtutibus, de Sacramentis, omnes denique in Deo sempiternae salutis auctore versantur. Itaque de causis horum studiorum stirilitatis disputans, quae sunt vel curiositas, hoc est immoderata scientiae cupido, vel ingenii tarditas, vel contentionis perseverantiaeque fuga, nullum aliud eis vult esse remedium nisi magnam laboris alacritatem, quae pieta-

tis ardore vigeat atque ex spiritus vita profecta esse videatur. Cun igitur triplici lumine studia sacra dirigantur, recta ratione, fide infusa et donis Sancti Spiritus, quibus quidem intelligentia perficitur, his omnibus nemo umquam amplius quam noster abundavit; qui postquam in re quapiam perardua diligenter ingenii sui opes adhibuerat, difficultatum explanationem a Domino ieiuniis precibusque humilimis implorabat: Deus autem tam benignus suplicem audire consueverat, ut ad eum edocendum Apostolorum principes interdum delegaret. Quare non est mirum, si, cum vitae exitus appropinquabat, eum contemplationis gradum ascenderat, ut quicquid scripsisset, id omne summae levitatis, non secus ac *paleas*, sibi videri diceret, seque negaret iam dictare posse quicquam; adeo iam solum aeterna spectabat, adeo nihil aliud nisi videre Deum expetebat. Omnino enim, auctore Thoma, hic est qui potissime sacris e studiis percipi fructus debeat, magnus Dei amor magnumque desiderium rerum aeternarum.

Sed is, cum docet exemplo suo quomodo in eadem studiorum varietate versari nos oporteat, tum praecepta firma et stabilia tradit singularum disciplinarum.

Nam principio, quis philosophiae naturam rationemque, partes earumque vim melius explicavit? En qua perspicuitate convenientiam consensumque demonstret omnium inter se membrorum, unde huius scientiae, tamquam corpus efficitur. «Sapientis est — ait — ordinare. Cuius ratio est quia sapientia potissime est perfectio rationis, cuius proprium est cognosce-

re ordinem; nam, etsi vires sensitivae cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius ad alteram cognoscere est solius intellectus aut rationis. Secundum autem diversos ordines quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Ordo enim quem ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad philosophiam rationalem (seu *logicam)*, cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. Ad philosophiam autem naturalem (seu *physicam)*, pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat sed non facit: ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et *metaphysicam*. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem *moralis* philosophiae, quae in tres partes dividitur: prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quae vocatur *monastica;* secunda considerat operationes multitudinis domesticae, quae appellatur *oeconomica;* tertia considerat operationes multitudinis civitatis, quae vocatur *politica*» (Ethic., l. 1). Quas philosophiae partes Thomas diligenter omnes pertractavit, propria singularum via, ita quidem ut ab iis profectus quae maxime humanae rationi coniuncta sunt, gradatim ad remotiora adscendens, denique «in supremo rerum omnium vertice» (Contra Gentes, II, c. LVI; IV, c. I), constiterit.

Ac de mentis humanae potestate seu valore sanctum est quod a nostro traditur. «Naturaliter intellectus noster cognoscit ens et ea quae sunt per se entis in quantum huiusmodi, in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia» (Contra Gentes, II c. LXXXIII). Hinc enim stirpitus extrahuntur errores opinionesque recentiorum, qui volunt non ipsum ens intelligendo percipi, sed ipsius, qui intelligat, affectionem: quos quidem errores *agnosticismus* consequitur tam nervose reprobatos Encyclicis Litteris *Pascendi*.

Quibus autem argumentis Thomas Deum esse docet eumque unum esse *ipsum Ens subsistens*, ea sunt hodie quoque, sicut aevo medio, omnium firmissima ad probandum: iisdemque liquido confirmatur Ecclesiae dogma in Concilio Vaticano solemniter enuntiatum, quod Pius X praeclare sic interpretatur: «Deum rerum omnium principium et finem naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse» (Motu proprio *Socrorum Antistitum*, diei I sept. MDCCCX). Eiusdemque de metaphysicis doctrina, quamquam frequenter adhuc iniquorum iudicum acerbitatem nacta est, tamen, quasi aurum, quod nulla acidorum natura dissolvitur, vim splendoremque suum etiam nunc integrum retinet; recte igitur idem decessor Noster: «Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse» (Litt. Encycl. *Pascendi*, diei VIII sept. MDCCCVII).

Profecto nobilissima quidem in humanis disciplinis est philosophia, sed eam, ut res nunc sunt divina Providentia constitutae, ceteris excellere dicendum non est, cum ad omnem rerum universitatem haud pertineat. Etenim in ipso *Summae contra Gentes* itemque *Summae theologicae* initio, sanctus Doctor alium rerum ordinem describit, positum supra naturam, eumque rationis captum excedentem, quem homo,

nisi ei divina benignitas revelasset, numquam fuisset suspicatus. Haec est regio ubi dominatur fides: fidei autem scientia Theologia nominatur. Iam vero huiusmodi scientia eo perfectior in quopiam sit oportet, quo is fidei documenta melius calleat, simulque pleniorem aptioremque philosophandi facultatem habuerit. *Non est autem dubitandum quin ad summum dignitatis culmen evecta Theologia sit per Aquinatem, cuius et numeris omnibus absoluta rerum divinarum cognitio fuit et intelligentiae vis facta mirifice ad philosophandum. Quare Thomas non tam sua philosophica institutione, quam huius disciplinae studiis, obtinet in scholis nostris magisterii principatum.*

Neque enim theologiae est pars ulla, in qua non is incredibilem ingenii sui ubertatem felicissime exercuerit. Nam primum propriis ac genuinis fundamentis constituit apologeticam, bene definito discrimine, quod inter eas res quae rationis et quae fidei sunt, intercedit, accurateque naturali a supernaturali ordine distincto. Itaque sacrosancta Vaticana Synodus, cum statuit quae de religione cognosci naturaliter possunt, eadem ut certo ac sincere cognoscerentur omnia, necessitate quadam revelari divinitus debuisse, ad mysteria vero cognoscenda divinam revelationem prorsus fuisse necessarium, iis utitur argumentis quae non aliunde nisi a Thoma mutuata est. Qui sanctum omnibus quicumque doctrinae christianae defensionem susceperint, illud vult esse principium: «Assentire iis quae sunt fidei non est levitatis, quamvis supra rationem sint». (Contra Gentes, I, c. VI). Ostendit enim, etsi quae creduntur arcana sint atque obscura, tamen apertas esse perspicuasque rationes quibus homo ad

credendum adducitur, siquidem «non crederet, nisi videret esse credenda». (II^{a}-II^{ae}, q. I, a. 4). Atque etiam adiungit, tantum abesse ut fides pro impedimento aut pro servili hominibus imposito iugo putanda sit, ut contra in maximi beneficii loco sit numeranda, siquidem «fides in nobis inchoatio est quaedam vitae aeternae» (Qq. disp. *de Verit.*, q. XIV, a. 2).

Altera theologiae pars, quae in dogmatum interpretatione versatur, ipsa quoque auctorem habet omnium locupletissimum Thomam; neque enim quisquam aut penetravit altius aut subtilius exposuit augusta quaecumque sunt mysteria, ut de vita Dei intima, de praedestinationis aeternae obscuritate, de supernaturali mundi gubernatione, de oblata naturis, ratione praeditis, facultate sui finis assequendi, de humani generis redemptione a Iesu Christo facta eademque per Ecclesiam continuata, perque Sacramenta, quae utraque ab Angelico Doctore «quaedam divinae Incarnationis reliquiae» appellantur.

Idem praeterea solidam theologiae doctrinam de moribus condidit, quae ad dirigendos totos humanos actus valeat supernaturali hominis fini congruenter. Et quoniam hic plane est in theologia perfectus, ut diximus, rationes certas dat et praecepta vivendi non modo hominibus singulis, sed societati etiam et domesticae et civili; in quo tum oeconomica tum politica morum scientia consistit. Hinc illa praeclara quae sunt in Summae Theologicae parte secunda de paterno regimine seu domestico et de legitimo imperio vel civitatis vel nationis, de iure naturae et de iure gentium, de pace et de bello, de iustitia et de domino, de legibus et de obtemperatione, de officio vel privato-

rum necessitati vel prosperitati publicae consulendi, idque cum in naturali ordine tum in supernaturali. Quod si privatim, publice atque in mutuis nationum inter nationes officiis haec sancte inviolateque praecepta serventur, iam nihil aliud requiratur ad eam hominibus conciliandam «pacem Christi in regno Christi» quam orbis terrarum tantopere desiderat. Optandum est igitur, ut quae in gentium iure praesertim explicando legibusque iis quibus populorum inter ipsos rationes ordinantur, Aquinas docet, ea, cum verae *Nationum Societatis* — quae dicitur — fundamenta contineant, magis magisque pertractentur.

Nec minus nobilitata est eius in asceticis mysticisque scientia; is enim, universa morum disciplina ad virtutum rationem donorumque revocata, eamdem vel rationem vel disciplinam egregie definit pro vario hominum ordine, sive qui commune institutum secuti, velint vivere, sive qui ad christianam spiritus perfectionem absolutionemque contendant, iique in duplici vitae genere actuosae et contemplativae. Itaque praeceptum de amore Dei quam late pateat, caritas eique adiuncta dona Sancti Spiritus quomodo crescant, multiplices vitae status, ut perfectionis, ut religiosorum, ut apostolatus, quid inter se differant et quae cuiusque natura visque sit, haec et alia asceticae mysticaeque theologiae capita si quis pernosse volet, is Angelicum in primis Doctorem adeat oportebit.

Atque hic, quidquid composuit, accurate in divinis Litteris fundavit et exstruxit. Nam sibi persuasum habens Scripturam in omnibus et singulis partibus vere esse verbum Dei, eius interpretationem ad eas ipsas leges diligenter exigit, quas proxime decessores

Nostri, Leo XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus*, et Benedictus XV Litteris item Encyclicis *Spiritus Paraclitus*, sanxerunt; positoque eo principio «Auctor principalis Scripturae sacrae est Spiritus Sanctus... Homo autem fuit auctor instrumentalis» (Quodlib., VII, a. 14, ad 5), de Bibliorum absoluta fide historica nullum patitur esse dubium, sed verborum sententiae seu sensus literalis fundamento ubertatem divitiasque constituit sensus spiritualis, cuius triplex genus allegoricum, tropologicum, anagogicum subtilissime explicare consuevit.

Denique, singulari quodam dono ac munere id habuit noster, ut suae praecepta disciplinae in liturgiae preces hymnosque converteret, itaque divinae Eucharistiae vates et praeco maximus fieret. Etenim, ubicumque terrarum et gentium est Ecclesia catholica, ibi ad sacra studiose utitur semperque usura est his Thomae canticis, in quibus simul de augusto Sacramento, —quod praecipue *mysterium fidei* appellatur—, doctrinae ab apostolis traditae eiusmodi inest enuntiatio, qua nulla perfectior. Haec si considerentur itemque illud ipsius Christi praeconium, quod supra attulimus, sane mirabitur nemo quod hic Doctoris Eucharistici quoque cognomen accepit.

Iam ex iis quae hactenus memorata sunt, haec factu quidem peropportuna colligimus. Primum intueantur oportet sanctum Thomam nostri praesertim adolescentes, magnarumque virtutum decora quae in eo elucent, diligenter imitando consectentur; ante omnia humilitatem quod est spiritualis vitae fundamentum, et castimoniam. Discant ab homine summi

ingenii summaeque doctrinae, cum omnem tumorem animi horrere, tum submissione supplici divini luminis copiam suis conciliare studiis; discant, eodem magistro, nihil tam vigilanter quam voluptatis blandimenta refugere, ne scilicet ad sapientiam contemplandam caligantes mentis oculos adiiciant. Nam quod ipse vivendo praestitit, ut diximus, sic confirmat praecipiendo: «Si quis abstineat a delectationibus corporalibus ut liberius vacet contemplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis». (IIª-IIªᵉ, q. CLVII, a. 2). Quare divinis admonemur Litteris: *In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* (Sap. 1, 4). Itaque si Thomae pudicitia tum cum in extremum discrimen adductam vidimus, cecidisset, verisimile est nequaquam Ecclesiam suum Doctorem Angelicum habituram fuisse.

Quandoquidem igitur videmus, corruptelarum illecebris deceptos, iuvenum plerosque iacturam maturrime facere sanctae puritatis, seque dedere voluptatibus, Nos, Venerabiles Fratres, vehementer vobis auctores sumus ut *Militiae angelicae* societatem, castimoniae Thomae praesidio conservandae, custodiendae conditam, usquequaque, praecipue in sacrorum alumnis, propagetis: indulgentiae autem pontificalis munera, quibus a Benedicto XIII aliisque decessoribus Nostris cumulata est, equidem confirmamus. Et quo facilius animum quis inducat huic Militiae dare nomen, iis qui eam participant facimus potestatem loco cinguli, gestandi suspensum collo sacrum numisma, cuius in adversa parte imago expressa sit sancti Thomae cum Angelis ei zonam accingentibus, in aversa Dominae Nostrae Reginae Sacratissimi Rosarii.

Quoniam autem sanctus Thomas omnium scholarum catholicarum rite est patronus constitutus, is qui utramque sapientiam, ratione quaesitam divinitusque inditam, mirabiliter in se, ut diximus, coniunxit; qui difficillimis nodis expediendis ieiunia precationesque fere adhibuit; qui instar omnium librorum Iesu Christi Crucifixi imagine usus est; idem, inquimus, sacrae iuventuti sit documento, quemadmodum in studiis optimis recte magnoque cum fructu se exerceat. Homines vero religiosarum familiarum tamquam in speculum inspiciant in Thomae vitam, qui oblatos dignitatis gradus vel amplissimos recusavit ob eam causam ut in perfectissimae obedientiae exercitatione vivere et in suae sanctitate professionis emori posset.

Omnibus denique quotquot sunt Christi fideles eum ab Angelico Doctore pietatis in augustam caeli Reginam capere exemplum, cuius et salutationem Angelicam frequentare et dulce Nomen suis pagellis inscribere consueverat, tum vero ab ipso Doctore Eucharistico amorem in divinum Sacramentum petere licebit. Idque ante alios sacerdotibus, ut est consentaneum: «Quotidie enim unam missam dicebat (Thomas) nisi cum infirmitas impedisset, et aliam audiebat socii vel alterius, ad quam ipse frequentius ministrabat», ait eius vitae scriptor diligentissimus; at quis explicare dicendo possit quo spiritus fervore sacrum faceret, qua se diligentia ad illud compararet, quas divinae Maiestati grates, eodem confecto, persolveret?

Deinde ad errores effugiendos, in quibus omnium huius temporis miseriarum fons est et caput, religiosius quam umquam alias, est in Aquinatis institutione

consistendum. Omnino enim Modernistarum in omni genere Thomas opinionum commenta convincit; in philosophia vim et potestatem humanae intelligentiae, ut memoravimus, tuendo, firmissimisque argumentis Deum esse probando; in re dogmatica supernaturalem a naturae ordine discriminando causasque credendi et ipsa dogmata illustrando; in theologia omnia quae fide creduntur non in opinione niti sed in veritate, eademque immutari non posse ostendendo; in re biblica genuinam divinae inspirationis notionem tradendo; in disciplina morum, in re sociali et in iure recte principia ponendo de iustitia legali aut de sociali itemque de commutativa aut de distributiva, et quae iustitiae cum caritate sint rationes explicando; in ascetica de christianae vitae perfectione praecipiendo, atque etiam aequales suis temporibus adversarios religiosorum ordinum oppugnando. Denique contra illam quae vulgo iactari solet, rationis humanae a Deo solutam libertatem, noster primae Veritatis iura summique Domini in nos auctoritatem affirmat. Hinc apparet satis esse causae quamobrem Modernistas nullum Ecclesiae Doctorem tam metuant quam Thomam Aquinatem.

Quemadmodum igitur olim Aegyptiis in summa annonae caritate dictum est *Ite ad Ioseph*, a quo sibi ad alendum corpus frumenti suppeditaretur copia, ita iis, quotquot nunc sunt in desiderio veritatis, **Ite ad Thomam** Nos dicimus, ut ab eo sanae doctrinae pabulum, quo affluit, in sempiternam suorum animorum vitam petant. Atque hoc pabulum in promptu esse et parabile omnibus, cum causa ageretur de ipso Thoma in beatorum caelitum numerum adscribendo, sic est

iurisiurandi religione testatum: «Sub huius Doctoris lucida et aperta doctrina floruerunt quamplures magistri religiosi et saeculares; propter modum compendiosum, apertum et facilem .., etiam laici et parum intelligentes appetunt ipsa scripta habere».

Nos autem quae et decessores Nostri in primisque Leo XIII (Litt. Encycl. *Aeterni Patris.)* et Pius X (Motu proprio *Doctoris Angelici,* diei XXIX iunii MDCCCXIV) decreverunt et Nosmet ipsi anno superiore mandavimus, ea omnia volumus sedulo attendant inviolateque servent ii praesertim quicumque in clericorum scholis maiorum disciplinarum magisteria obtinent. Iidem vero sibi persuadeant tum se suo officio satisfacturos itemque exspectationem Nostram expleturos esse, si cum Doctorem Aquinatem, scripta eius diu multumque volutando, adamare coeperint, amoris huius flagrantiam cum alumnis disciplinae suae, ipsum Doctorem interpretando, communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum.

Scilicet inter amatores sancti Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur, intercedere, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in Codice iuris canonici praecipitur (Can. 1366, § 2) ut «philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant»; atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi

suum vere possint appellare magistrum. At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur·

Itaque, quoniam universi nominis christiani refert sacra haec saecularia digne celebrari —siquidem in Thoma honorando maius quiddam quam Thomae ipsius existimatio vertitur, id est Ecclesiae docentis auctoritas– · placet Nobis admodum ut huiusmodi celebratio anno vertente, a die XVIII mensis iulii ad exitum anni proximi, toto orbe terrarum fiat, ubicumque adolescentes clerici rite instituuntur; videlicet non solum apud Fratres Praedicatores, cui quidem Ordini, ut verbis utamur Benedicti XV «laudi dandum est non tam quod Angelicum Doctorem aluerit, quam quod numquam postea, ne latum quidem unguem, ab eius disciplina discesserit» *(Acta Ap. Sedis*, vol. VIII, 1916, p. 397), sed etiam apud ceteras familias religiosorum, atque in omnibus Clericorum Collegiis, magnis Lyceis scholisque Catholicis, quibus ipse datus est Patronus caelestis. Par erit autem hanc almam Urbem, in qua Magisterium Sacri Palatii aliquandiu gessit Aquinas, ad haec agenda solemnia principem exsistere: sanctaeque laetitiae significationibus ante omnia Pontificium Collegium Angelicum, ubi Thomam tamquam domi suae habitare dixeris, tum quae praeterea Romae adsunt Clericorum Athenaea ceteris sacrorum studiorum domiciliis praestare» (AAS. 15 [1923], 309-324).

4. *Ex Epistula Apostolica «Unigenitus Dei Filius» ad Summos Moderatores Ordinum Regularium aliarumque Sodalitatum Religiosorum virorum. d. d. 19 martii 1924.*

«Verum enimvero id sanctum vobis inviolatumque esto quod in Epistola Apostolica de Seminariis et de studiis clericorum, iuri canonico congruenter, ediximus: scilicet ut in tradendis philosophiae et theologiae praeceptis magistri fideliter Scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas, sequantur. Scholasticam enim disciplinam angelicamque Thomae sapientiam, quam decessores Nostri nullo non tempore amplissimis honestarunt laudibus, num quis ignorat, ut ad revelatas veritates inlustrandas, sic ad errores cuiusvis aetatis mirifice refutandos natam aptam esse? Etenim Angelicus Doctor — ita immortalis memoriae decessor Noster Leo XIII — «divina, humanaque scientia praedives, Soli comparatus... illud a se impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit» (Encycl. *Aeterni Patris)*. Et recte idem Pontifex: «Qui vere philosophari volunt — velle autem potissimum debent religiosi viri — primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant». (Epist. *Nostrae erga*, die 25 nov. 1898).

Quantopere autem intersit alumnos vestros ab scholastica ratione nullo pacto abscedere, vel ex eo apparet, quod, cum philosophiam inter et revelationem arctissima cognatio intercedat, utrasque Scholastici ipsi tam mira concordia composuerunt et coag-

mentarunt, ut altera alteri lucem afferret maximumque adiumentum. Neque enim, cum ambae a Deo, summa aeternaque veritate, proficiscantur et rationis illa, haec fidei documenta reddat exhibeatque, inter se pugnare queunt, ut nonnulli delirando contendunt; immo etiam tam amice conspirant, ut altera alteram compleat. Unde sequitur, ex inscio imperitoque philosopho fieri nunquam doctum theologum posse, et qui divinarum rerum sit prorsus ieiunus, eidem perfecte philosophari nullo pacto licere.

In quo recte S. Thomas: «Ex principiis fidei ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes; unde etiam theologia scientia est». Ut aliis verbis dicamus, quemadmodum e ratione, quae est divini participatio luminis, philosophia prima naturalis cognitionis principia ducit, eademque enuntiat atque explicat, ita theologia e supernaturalis luce revelationis, quae intellectum splendore suo illuminat et complet, fidei notiones mutuatur, evolvit, explanat, ut sint ambae duo uno ex sole radii, duo uno ex fonte rivuli, bina in fundamento uno aedificia. Magnum quiddam profecto humana scientia est, modo fidei rationibus obsequenter inhaereat; quibus posthabitis, iam in multos eam ipsam errores incidere dementiasque necesse omnino est.

Quodsi, dilecti filii, alumni vestri, quam humanarum cognitionum in se summam congesserint, eam doctrinae sacrae famulari ac servire iubeant; si, praeterea, veritatis revelatae amore et cupiditate acriter ardeant, erunt atque habebuntur homines Dei, et verbo exemploque plurimum christiano populo proderunt. Etenim «Omnis Scriptura divinitus inspirata» — vel, ut Angelicus Doctor interpretatur, sacra doctrina, lumine divinae revelationis admoto, percepta — «utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus» (II Tim., III, 16-17). (AAS. 16 [1924], p. 144-145).

5. *Ex Constitutione Apostolica «Deus scientiarum Dominus», d. d. 24 maii 1931, de Universitatibus et Facultatibus Studiorum ecclesiasticorum, tit. III, art. 29.*

«a) *In Facultate Theologica* principem locum teneat Sacra Theologia. Haec autem disciplina methodo cum positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex Sacra Scriptura et Traditione demonstratis, *earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur.*

b) In Facultate Iuris Canonici tam historia et textus legum ecclesiasticarum quam earumdem ratio et nexus modo scientifico exponantur.

c) *In Facultate Philosophica* Philosophia scholastica tradatur, eaque ita ut *auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur.* **Ex hac autem doctrina diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur»** (AAS. 23 [1931] 253).

6. *Ex S. C. de Sem. et Stud. Univ. Ordinationibus ad Const. Apost. «Deus scientiarum Dominus» rite exequendam d. d. 12 iunii 1931, tit. III, art. 18 1.*

«Quae in art. 29 a) et c) Constitutionis Apostolicae de institutione ad Angelici Doctoris rationem, principia et doctrinam statuuntur *sancte serventur*, ad normam Litterarum Encycl. Leonis Pp. XIII *Aeterni Patris* d. d. 4 augusti [1879] et Pii Pp. XI *Studiorum Ducem* d. d. 29 iunii 1923». (AAS. 23 [1941] 268).

VII

Pius XII

1. *Ex Sermone habito d. 24 iunii 1939 ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in Alma Urbe ad Sacerdotium efformantur.*

...«Id sapientissime porro statutum est riteque servandum, ut «philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad *Angelici Doctoris* rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant» (C. J. C., can. 1366, § 2). Ea enim est Aquinatis sapientia quae veritates rationi non impervias vivida luce illustrata aptissimo eodemque solido unitatis nexu mirifice colliget; ea est quae ad dogmata fidei declaranda et defendenda maxime aptetur; ea denique est quae

grassantes primarios errores cuiusvis temporis efficienter valeat arcere et invicte debellare.

Quapropter, dilectissimi filii, *animum afferte plenum amoris et studii erga Sanctum Thomam: totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini.*

Haec praecepta a decessoribus Nostris iampridem data, nostrarum partium ducimus in praesenti recolere et, si alicubi desiderentur, ex integro instaurare; simulque eorundem desessorum Nostrorum monita Nostra facimus, quibus veri nominis in scientia progressum et legitimam in studiis libertatem tueri voluerunt.

Probamus prorsus ac commendamus novis disciplinarum inventis antiquam sapientiam, ubi opus sit, aequari; ea de quibus bonae notae Angelici Doctoris interpretes disputare solent, libere agitari; nova vero subsidia ex historia deprompta in textibus Aquinatis plenius intelligendis adhiberi. Neque ullus privatus «se in Ecclesia pro magistro gerat» (Benedictus XV, AAS., VI, 1914, p. 576); nec «quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia» (Pius XI, AAS., XV, p. 324); neque denique vana dissidia foveantur.

Quae omnia si, ut confidimus, praestabuntur, copiosa expectanda erunt disciplinarum emolumenta. *Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae Sancti Thomae non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur»* (AAS. 31 [1939] 246-247).

2. *Ex Epistula «Quandoquidem» ad Rmum, Magistrum Generalem Ord. Praed, d. d. 7 martii 1942.*

«Quandoquidem qui sacris humanisque disciplinis dant operam multum multumque valent in ceterorum hominum dirigendam ordinandamque vitam, atque ex incorruptae doctrinae probitate gignitur cum privatorum tum publicorum morum probitas, idcirco Romanis Pontificibus de lectissimis illis viris maxima semper cura est, qui, optimarum cuiusvis generis artium studiis dediti, humanae consortionis itineri quasi praelucere videantur.

Hac de causa, ut nosti, sapientissimus decessor Noster fel. rec. Leo XIII anno MDCCCLXXX per Apostolicas Litteras *Cum hoc sit,* Thomam Aquinatem, «qui doctrina et virtute solis instar semper eluxit» (A. L., vol. II, p. 108), caelestem catholicarum omnium scholarum Patronum declaravit atque constituit, eumdemque peculiari modo tutelarem dedit philosophicae ac theologicae sapientiae praestitem, ducem atque magistrum.

Nos vero nuperrime, percupientes admodum ut ii quoque, quorum est naturae secreta laboriose rimando speculari, caelesti tutela ne carerent, Albertum Magnum, Doctorem sanctissimun aeque ac doctissimum, physicarum disciplinarum cultoribus Patronum per Apostolicas item Litteras *Ad Deum*, d. d. 16 decembris 1941, impertivimus. Ita quidem ut qui in mortalis huius vitae cursu fuere studiorum officiorumque consuetudine sibi invicem coniunctissimi, iidem, sempiterna quoque beatitate fruentes, eorum omnium pro suo quisque munere patrocinium agant, qui ad humanam divinamque sapientiam adipiscendam operose contendant. Uterque fuit, ut omnes norunt, Dominicianae familiae decus; uterque doctrinae ac virtutis luminibus praefulgens.

Angelicus siquidem Communisque (cf. Litt. Enc. *Studiorum Ducem*, AAS., 1923, p. 314) *Doctor Aquinas eos omnes, qui e superioribus aetatibus defluxerant sapientiae rivulos veluti mare in se recipiens, quidquid philosophando lucubrandoque humana ratio attingerat, id universum miro ordine luculentaque perspicuitate digestum superna luce ex Evangelio radiante ita composuit ordinavitque, ut reapse «facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi ademisse videatur»* (A. L., vol. II, p. 110). Ac non modo divi Thomae doctrina ad veteres profligandas haereses aptissima evadit, atque adeo «fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum» (cf. Litt. Enc. *Aeterni Patris,* A. L., vol. I, p. 263) exstat, sed *ad pervincendos quoque errores perpetua vice renascentes novitatisque specie fucatos arma praebet validissima.*

Ut igitur omnes quotquot catholicas cuiusvis generis scholas celebrant, Thomam Aquinatem caelestem Patronum colere, revereri atque imitari debent, ita ii potissimum qui in philosophicis ac theologicis studiis exercentur, ac nominatim sacrorum alumni, qui ad sacerdotium divinitus vocati, in spem Ecclesiae adolescunt, eumdem ducem atque magistrum sequantur oportet (cf. C. I. can. 1366, 2); probe animo retinentes in doctrinis thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sananda mala quibus nostra premitur aetas vim virtutemque singularem (A. L., vol. II, p. 109).

At quemadmodum Angelicus Doctor hoc sibi proprium praecipuumque habet ut ea universa quae ad divinam humanamque vitam pertinent, quaestionesque omnes, quae id respectent, luce sumpta de caelo illuminet ratiocinandoque collustret, et quidquid philosophia attingerat, in summam redigens, miro ordine componat ac coagmentet; ita eius magister Albertus Magnus videtur potius ex exploratis ac cognitis naturae viribus ad philosophicae sapientiae vertices ad ipsumque supernae scientiae fastigium ascendere; atque eo prae primis contendit ut ex uberrimis physicarum disciplinarum promptuariis utilia arma depromat ad catholicam tuendam veritatem» (AAS. 34 [1942] 96-97).

3. *Ex Allocutione ad Patres Societatis Iesu in XXIX Congregatione electores, habita d. 17 septembris 1946.*

«Vestrum est nomine et re non solum viros vere religiosos, sed magnae quoque doctrinae esse. Ipsi officium exercetis, sive ore sive scriptis, theologiam, Sacras Litteras, ceterasque ecclesiasticas disciplinas, philosophiam quoque docendi: eximius hic vobis honor, nobilis labor, at magna quoque suscepti huius ministerii vobis ratio impendet. Universis et singulis, quibus haec concredita provincia est, alta sonat Apostoli vox: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae»* (1).

(1) I Tim. 6, 20.

Societatis Iesu igitur sodales, ut tantae spei fideliter respondeant, omni diligentia suas observent leges, quae ipsis praecipiunt, ut «tamquam solidiorem, securiorem, magis approbatam Constitutionibusque consentaneam» doctrinam S. Thomae sequantur (cf. *Epitom.* nn. 315-318), iidemque indeflexa constantia, agmini vestro consueta, Ecclesiae magisterio haereant, habentes, ut ipsis Sancti Societatis vestrae Conditoris verbis utamur, «animum paratum et promptum ad obediendum in omnibus verae Sponsae Christi Domini nostri, quae est nostra sancta Mater Ecclesia Hierarchica», et credendo inter Christum Dominum nostrum Sponsum et Ecclesiam eius Sponsam eundem esse spiritum, qui nos gubernat et regit ad salutem nostrarum animarum; quia per eundem spiritum et Dominum nostrum, qui dedit decem mandata, regitur et gubernatur sancta nostra Mater Ecclesia» *(Exerc. spirit.* Regulae ad sentiendum cum Eccl. 1ª et 13ª).

Quodsi iidem apprime fidem debent colere, debent etiam accuratam perfectamque scientiam sibi adipisci et, praeclara sui Instituti vestigia secuti, doctrinarum progressus, quantum possunt et quomodo possunt, sectari, id sibi persuasum habentes se hoc itinere, quamvis aspero, plurimum ad maiorem Dei gloriam et ad aedificationem Ecclesiae conferre posse. Insuper suae aetatis hominibus, sive ore sive scriptis, debent ita loqui, ut intelligenter et libenter audiantur. Ex quo id infertur ut in proponendis et proferendis quaestionibus, in argumentationibus ducendis, in dicendi quonibus, in argumentationibus ducendis, in dicendi quoque genere deligendo, oporteat sui saeculi ingenio et propensioni sapienter orationem suam accommodent.

At quod immutabile est, nemo turbet et moveat.

Plura dicta sunt, at non satis explorata ratione, de «nova theologia» quae cum universis semper volventibus rebus, una volvatur, semper itura nunquam perventura. Si talis opinio amplectenda esse videatur, quid fiet de nunquam immutandis catholicis dogmatibus, quid de fidei unitate et stabilitate?

Dum igitur inociduam Veritatem vereri sanctum solemneque habetis, operam date problemata, quae labens fert tempus, studiose investigare et solvere, praesertim si ea eruditis christifidelibus obstacula et difficultates progignere possint; quin etiam eadem illustrando, in auxilium convertentes impedimentum, illorum fidem inde confirmate. Verumtamen, cum novae vel liberae agitantur quaestiones, catholicae doctrinae principia semper mentibus praefulgeant; quod in re theologica omnino novum sonat, evigilanti cautione perpendatur; certum firmumque ab eo, quod coniectura ducitur, ab eo, quod labilis nec semper laudabilis mos etiam in theologiam et philosophiam introducere et invehere potest, secernatur; errantibus amica praebeatur manus, nihil autem indulgeatur opinionum erroribus». (AAS. 38 [1946] 384-385).

4. *Ex Allocutione ad Patres delegatos ad Capitulum Generale Ordinis Praedicatorum, habita d. 22 septembris 1940.*

«Ipsi, qui theologiae et philosophiae excolendis semper praecipuum locum addixistis, iure meritoque vobis eximiam laudem vindicatis: S. Thomam Aquinatem, harum disciplinarum communem Magistrum,

Ecclesiae dedistis, cuius sive in tironibus erudiendis, sive in absconditorum verorum investigatoribus porro ducendis, singularis est auctoritas, ipso in Codice Iuris Canonici **decretorio modo** asserta: «Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant» (can. 1366, § 2).

Quod quidem **praescriptum** quanti faciendum sit, decessorum Nostrorum consilia vestigiaque secuti, alias animadvertimus. Hac autem in re **nunc** minoris videntur esse momenti quaestiones, in quibus sub ecclesiastici magisterii ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantaecumque eaedem in philosophicis et theologicis indagationibus et disceptationibus ducendae sunt. Eoque minus **nunc** sermo est de illis doctrinarum ad physica seu ad rerum naturam attinentium opinationibus et formulis, quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant, aut de illarum consectariis, quatenus quidem opiniones illas nostra aetate reperta et inventa humanarum disciplinarum exsuperarunt et praetergressa sunt: quibus repertis et inventis Ecclesia favet, nedum adversetur, ea provehit, nedum metuat.

Nunc vero agitur de ipsis philosophiae perennis et theologiae fundamentis, quae qualibet ratio et disciplina, re ac nomine catholica aestimanda, agnoscit et veretur; agitur de scientia et de fide, de earum natura et mutua ratione; agitur de ipsa fidei basi, quam nullum censurae iudicium labefactet; agitur de veris a Deo patefactis, an nempe mentis acies ea certis notionibus penetrare atque ex eis ulteriora colligere possit.

Paucis dicimus: de hac re quaeritur, an videlicet **quod S. Thomas Aquinas aedificavit,** ultra et super quodlibet tempus una compositis et compactis elementis, quae omnium temporum christianae sapientiae cultores suppeditaverant, **solida rupe innitatur, perpetuo vigeat et valeat, catholicae fidei depositum efficaci praesidio etiam nunc tueatur,** novis quoque theologiae et philosophiae progressibus **securo** usui et moderamini sit.

Id sane Ecclesia asserit, *cum id sibi persuassum habeat hoc itinere ad veritatem cognoscendam et solidandam tuto procedi.* Ideo Constitutione Apostolica «*Deus scientiarum Dominus*», die XXIV maii anno MCMXXXI edita, ipsa memoratam **praescriptionem** Codicis Iuris Canonici confirmavit. Philosophia proponatur oportet — hoc ibidem *praecipitur* — «ita ut auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur»; et in theologia «veritatibus fidei expositis et ex Sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur e illustrentur» (Art. 29).

Quodsi opus fuerit arduum non contigerit, ut experientia et usus ostendunt, laicis hominibus in hodierni sermonis perspicuitatem vertere et ampliore verborum gyro, explicare formulas quasdam, ut aiunt, technicas, quae huius disciplinae imperitis obscurae esse consueverunt.

Propterea quod **haec pondus habent legis,** quae cunctis philosophiae et theologiae catholicis scholis viget, multo magis a vobis speramus fore, ut non solum

externo ductu, verum etiam intimo iudicio et studio celsishis obsequamini normis ad universam catholicam doctrinam, ad ea quoque, quae iura et socialem ordinem attingunt, spectantibus.

Adsidua manu versate codices, ubi religionis instituta, leges, historia continentur; quaeque vero nova ferunt tempora sagaci indagatione perpendite et in scientiae sacrae usum convertite. Pax vestra, placide operositatis amica et comes, caelestibus veris reflexis refulgeat. Ita inter arduos montes lacus abietibus coronatus tranquillus caeruleorum poli arcuum repercussam reddit imaginem.

Neque volumus silentio praeterire aliud, quod nobis valde cordi est, Leoninam videlicet Operum S. Thomae Aquinatis Editionem, quae novo studio oportet provehatur: de incepto enim agitur, quod eximio vobis decori erit ac philosophicis et theologicis disciplinis, quarum Doctor Angelicus dux semper peritissimus et inoccidua lux est, emolumento perenniter mansuro et olim aequa aestimatione pendendo» (AAS. 38 [1946] 387-388).

5. *Ex Praefatione Missae S. Thomae Aquinatis iuxta ritum Sacri Ord. Praed., ab ipso Pio Pp. XII exarata.*

«Qui Beatum Thomam Doctorem, vitae innocentia et ingenii sublimitate vere Angelicum, in Ecclesia tua suscitare voluisti, *ut eam saluberrima et firmissima communiret doctrina et solis instar illustraret;* cuius sapientiam, *omnibus* **praecipue** *commendatam,* totus admiratur orbis terrarum».

6. *Ex Epistula S. C. de Sem. et Stud. Univ. ad Emos. PP. DD. Cardinales atque Excmos. PP. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Brasiliae, de recta clericorum institutione rite provehenda d. d. 7 martii 1950.*

«Quando o Papa Leào XIII, de gloriosa memória, quís restituir a solidez e a profundidade que convêm ao ensino eclesiástico, então incerto e superficial, em muitos lugares, pediu e impôs com a Encíclica *Aeterni Patris*, a volta à Filosofia de Santo Tomás de Aquino, através do qual a razão alcançou talvez os mais elevados cumes que lhe sejiam possíveis, e a fé encontrou na razão os mais numerosos e válidos auxilios (Leonis XIII Acta, vol. I, Romae 1881, p. 27). Exortava êle: «Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream Sancti Thomae sapientiam restituatis». E acrescentava: «ceterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a vobis intelligenter lecti, in discipulorum animis insinuare; *eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant» (Ibid.,* pp. 282-283).

De fato, obedecendo às normas do grande Pontifice, a filosofia e a teologia católica recomeçaram a florescer, a produzir obras de grande valor, e conquistaram a estima das Universidades dos Estados, que nào raro inseriram Santo Tomás nos seus programas. Os sucessores de Leao XIII tem todos recomendado a doutrina do Aquinate. O Santo Padre Pio XII no primeiro ano do seu Pontificado, runindo no patio de São Damaso os milhares de estudantes eclesiásticos que residem en Roma, disse-lhes: «quapropter, dilectissimi filii, animum afferte plenum amoris et studii erga Sanctum Thomam; totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini» (AAS. 31 1939, p. 246).

O mesmo Código do Direito Canónico ordena: «philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant» (can. 1366 § 2).

Nào se pode, portanto, duvidar do pensamento e da vontade da Santa Igrejia; e, sem dúvida, entre os que devem especialmente demonstrar a propria submissao à Igrejia, estão precisamente os clérigos que se formam para o seu serviço e os professores aos quais Ela confiou a educação dos seminaristas.

Conseqüentemente, nào se deve mudar o método de ensino — queremos dizer o método escolástico — que é antigo, sim, mas nào è antiquado. Definir com exatidào e precisào; dividir as questoès; demonstrar com ordem, clareza e solidez; citar as autoridedes com fidelidade e sobriedade; refutar os adversários sem ambiguidades; estes sào os ideais do exposição escolástica, e devem ser os de todo o ensino sério e formativo. Quanto aos principios e à doutrina, seria uma grande temeridade abandonar as razoès que o genio dos Padres e dos Santos Doutores empreguo para ilustrar e defender a fé, e que o genio de Santo To-

más relheu e apresentou com o máximo de vigor que possuem» (AAS. 42 [1950] 837-838).

«Se quisermos preservar os jovens da seduçào das ideias menos seguras, o meio mais eficaz e mais digno dêles, consiste em ensinar-lhes uma bôa e sa filosofia, isto é, a filosofia tradicional, segundo os princípios de Santo Tomás. Uma vez iluminados por verdadeiros e clarividentes princípios em metafísica e em moral, os clérigos verào, fàcilmente, a fraqueza e a inconsistência que tantas novidades ocultam sob as louçanias do estilo e sob a abundancia de uma erudiçao mal digerida. Per tal forma, saberào resistir aos sistem errôneos em voga, e hào de estar armados para enfrentar os novos êrros que surgirào sempre, com o mesmo fascínio e inconsistência daqueles de hoje» (Ibid. 842).

7. *Ex Encyclicis Litteris «Humani generis», d. d. 12 augusti 1950.*

«In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad existentiam unius Dei personalis certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei fundamenta signis divinis invicte comprobanda; parique modo ad legem, quam Creator animis hominum indidit, rite exprimendam; ac denique ad aliquam mysteriorum intelligentiam assequendam eamque fructuosissimam» (Cfr. Conc. Vat., D. B., 1790).

Hoc tamen munus ratio tum solum apte ac tuto absolvere potest, cum debito modo exculta fuerit; nempe cum fuerit sana illa philosophia imbuta, quae

veluti patrimonium iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum, atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinae «revelationis» trutinam vocavit. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem.

In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe neque indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget. Etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare; numquam tamen eam fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed obsoletum existimare monumentum.

Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae menti per se notis, vel de sententiis illis quae tum saeculorum sapientia tum etiam divinae revelationis consensu ac fulcimine innituntur. Quidquid veri mens humana, sincere quaerens, invenire poterit, iam acquisitae veritati profecto adversari

nequit; siquidem Deus, summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut recte acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur. Quapropter christianus sive philosophus sive theologus non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac iusta in trutina ponat, ne adeptam veritatem amittat vel corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento.

Quae si bene perspecta fuerint, facile patebit cur *Ecclesia* **exigat** *ut futuri sacerdotes philosophicis disciplinis instruantur «ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia»* (Ç. I. C., can. 1366, 2), quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis sive in absconditis veritatibus pervestigandis singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina revelatione quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sanae progressionis fructus utiliter ac secure colligendos.

Hac de causa quam maxime deplorandum est philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam hodie a nonnullis despectui haberi ita ut antiquata quoad formam, rationalistica, ut aiunt, quoad cogitandi processum, impudenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram existere posse; dum contra asseverant res, praesertim transcendentes, non aptius

exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accomodatam; non tamen praebere philosophandi rationem, quae hodiernae nostrae culturae ac neccesitatibus respondeat. Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam immutabilium essentiarum esse, dum hodierna mens ad «existentiam» singulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem.

Dum vero hanc philosophiam despiciunt, alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive Orientis, sive Occidentis populorum, ita ut in animos insinuare videantur quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correptionibus vel complementis, cum dogmate catholico componi posse; quod quiden falsum omnino esse, cum praesertim de commentis illis agatur, quae vel «immanentismum» vocant, vel «idealismum», vel «materialismum» sive historicum, sive dialecticum, ac vel etiam «existentiatismum» sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest.

Ac denique philosophiae nostris traditae scholis hoc vitio vertunt, eam nempe in cognitionis processu ad intellectum unice respicere, neglecto munere voluntatis et affectuum animi. Quod quiden verum non est. Nunquam enim christiana philosophia utilitatem

negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene congoscendas et amplectendas; immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat. Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supernaturalem pertinentia, aliquo modo percipere posse, quatenus experiatur in animo affectivam quamdam «connaturalitatem» cum eisdem bonis sive naturalem, sive dono gratiae additam (II, II, q. 1, a. 4 ad 3; q. 45, a. 2), ac liquet quantopere vel suboscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat. Attamen aliud est voluntatis affectuum dispositioni vim agnoscere adiuvandi rationem ad certiorem ac firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam; aliud vero est, quod isti novatores contendunt, facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem cum non possit rationis discursu cum certitudine discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, cognitione et voluntatis actu incompte permixtis.

Nec mirum est novis hisce placitis in discrimen adduci duas philosophicas disciplinas, quae natura sua, cum fidei doctrina arcte connectuntur, theodiceam nempe et ethicam; quarum quidem munus esse censent non aliud certi de Deo aliove ente transcendenti demonstrare, sed ostendere potius ea quae fides doceat de Deo personali ac de eius praeceptis, cum vitae necessitatibus perfecte cohaerere, ideoque omnibus

amplectenda esse ut desperatio arceatur atque aeterna attingatur salus.

Quae omnia ut Decessorum Nostrorum Leonis XIII et Pii X documentis aperte adversantur, ita cum Concilii Vaticani decretis componi nequeunt. Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam in rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius perfecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata» (AAS. 42 [1950], 571-575).

8. *Ex Allocutione ad eos qui interfuerunt tertio Thomistico internationali Conventui, Romae habita d. 17 septembris 1950.*

«Magni momenti profecto et instans causa vos coegit: de coniunctionibus enim tractastis, quae inter catholicam fidem et rectam rationem, inter hodiernam philosophiam et christianam religionem intercedunt.

Quo super argumento Encyclicas Litteras *Humani generis* scitis nuper a Nobis editas esse. Hae vobis disputantibus et edisserentibus tutum iter innuerunt, praelucente veluti radiantissimo sole Sancti Thomae Aquinatis doctrina, Sancti Thomae, inquimus, a quo Academia vestra nominis decus mutuatur et sumit.

Profecto philosophia perennis immensae molis opus est, ad quod exstruendum a providentissimo Dei numine excitata, per saeculorum decursum lectissi-

ma ingenia, flos sapientiae, elaborarunt; eademque, perpetua pollens iuventa, nunc quoque robusta virescit et variarum disciplinarum incrementis semper patet et prodest, sive cum res physicae altius sunt indagandae, sive cum rerum gestarum memoria consideratius instruenda est.

At vero *inter omnes scholasticae philosophiae cultores Sancto Thomae incomparabilis palma reservatur: ipseque principem occupat locum. Veritatis unice amator, is quanta reverentia, quam quidem veritas poscit, res penitus intelligendas considerat, facta rimatur, litteras et documenta, e quibus acta dictaque explorantur, investigat! Quam apta est ipsi in disquisitionibus partium dispositio, quam firmum argumentorum robur et lucida dicendi proprietas! Victrici fortitudine, quam mentis celsitas parit, ad conclusiones progreditur; metaphysica principia, quae sunt omnibus aetatibus commune christianae sapientiae patrimonium, usque ad extrema consectaria placide et tuto enucleando deducit.*

Hoc sane indubium: quantum caelum supereminet terras, tantum divinae revelationis vera supergrediuntur humanae mentis vires: illa his celsiora sunt, at minime quidem adversantur et repugnant; supra sunt, non contra. Sanctus Thomas autem mira quadam alacritate hominis intelligentiam, nimio illo fulgore quasi haesitantem et suspensam, in templum mysteriorum Dei introducit et argumentationis arte quaestiones exsolvens, efficit, ut inter se divinarum et humanarum rerum convenientia resplendeat et appareat. Nunc quoque quam acris ardeat certatio in stabiliendis rationibus, quae inter fidem et humano lumine haustas

doctrinas mutuae sunt, supra memoratae Nostrae Encyclicae Litterae demonstrant, quas quidem hoc consilio et proposito ducti edidimus, ut catholicae fidei depositum integrum, illaesum et indemne servetur.

Quas nos illic attigimus quaestiones, inter vos ac postea studiosae iuventuti, cui vacatis, pertractate, nullo non tempore obtemperantes afflatui, quo Angelicus Doctor vera perdidicit, summo nempe nisu intelligentiae ac religiosa pietate. Pertractate, eius methodo insistentes, qua semper is sententiarum continentiam et limites definit, sine inutili verborum effluentia, sed solido sermone, illa claritate perspicuus, qua tum ipse tum scholasticae philosophiae doctores aurea sua aetate enituerunt atque Ecclesiam et scientiarum fines suo lumine collustrarunt» (AAS. 42 [1950], 734-735).

9. *Ex Adhortatione Apostolica «Menti Nostrae» de sacerdotalis vitae sanctitate promovenda, d. d. 23 septembris 1950.*

«In sacrorum institutione alumnorum, quamvis multarum cognitio disciplinarum perquiratur, in quibus hodie rerum socialium investigatio magni quidem est momenti, *maxima tamen vis doctrinis philosophicis ac theologicis «ad Angelici Doctoris rationem» (Cf. C. I. C., can. 1366, 2) tribuenda est*, cum his necessitatum atque errorum, quae nostra invexerit aetas, notitia coniuncta. Huiusmodi enim doctrinae cum sacerdotibus ipsis, tum christiano populo maximi sunt ponderis et utilitatis: pietatis magistris asseverantibus

eas, modo fuerint idonea ratione traditae, ad servandum alendumque fidei studium, ad cupiditates debilitandas, ad animum cum Summo Dei Numine coniungendum maxime valere» (AAS. 42 [1950] 687-688).

NOTULA BIBLIOGRAPHICA

De auctoritate doctrinali S. Thomae deque obligatione eidem adhaerendi, complura scripta sunt saeculorum decursu. Ex eis autem nonnulla tantum referimus, ultimorum praesertim temporum.

Bainvel, I. B, S. I.—*De Magisterio vivo et Traditione*, p. 92-94. París, 1905.

Berjón, A.—*Santo Tomás de Aquino Principe de los filósofos*. Matriti, 1927.

Berthier, I. I., O. P.—*Sanctus Thomas Aquinas «Doctor Communis» Ecclesiae*. Romae, 1914.

Congar, I., O. P.—*Porquoi la philosophie de Saint Thomas est-elle la philosophie officielle de l'Eglise*. Bull. Inst. Cath. 1904, p. 91-100.

Contri, S.—*Il tomismo e il pensiero moderno secondo le recenti parole del Pontefice*. Bononiae, 1928.

Cordovani, M., O. P.—*Pio XI e S. Tomaso d'Aquino*. Vita e Pensiero 1923, p. 449-452.

—*L'attualità di San Tommaso d'Aquino*. Mediolani, 1924.

—*Leone XIII «Aeterni Patris». Enciclica sulla filosofia cristiana*. Romae, 1927.

—*San Tommaso nella parola di S. S. Pio XI*. Angelicum, 6 (1929), 1-12.

—*La legge universitaria della Chiesa e il primato di San Tommaso d Aquino*. Romae, 1932.

—*Da Leone XIII a Pio XII* Nel 60° della Enciclica «Aeterni Patris». Angelicum 16 (1939, p. 301-304).

De Groot, I. V., O. P.—*Summa Apologetica de Ecclesia Catholica*[3], pp. 813-830, 853-859. Ratisbonae 1900.

Del Prado, N, O. P.—*La Filosofia de Santo Tomás según León XIII y Pio X*. Diálogos entre un filósofo y un teólogo sobre la cuestión *de essentia et esse* y varios artículos sobre distintas materias, p. 153-161. Vergarae, 1915.

Descoqs, P., S. I.—*Thomisme et magistère écclésiastique.* Archives de Philosophie, 4 (1926), p. 184-192.

Dieckmann, H., S. I.—*De Ecclesia,* p. 192-201. Friburgi Brisgoviae, 1915.

Diekamp. F.—*Theologiae Dogmaticae Manuale,* t. I, p. 64-66 Parisiis, 1944.

D' Esplugues, M., O. M. Cap.—*L' Enciclica «Studiorum Ducem». Observaciones i comentaris.* Estudis Franc. 32 (1932), p. 5-8; 33 (1924), p. 81-97.

—*Comentari a l' Enciclica «Studiorum Ducem»,* Miscellania de Filosofia religiosa. pp. 103-266. Barcinone, 1924.

Felder, H., O. M. Cap.—*Apologetica,* t. II, p. 338-343. Paderbornae, 1920.

Garcia, M., O. P.—*Alrededor de un «Motu proprio».* La Ciencia Tomista, 10 (1914), p. 46-59.

Garrigou-Lagrange, O. P.—*Les XXIV thèses thomistes. Pour le XXXe anniversaire de leur approbation.* Romae, 1944.

Getino, L., O. P.—*El «Syllabus» tomista.* La Ciencia Tomista, 16 (1917), p. 181-200, 285-303.

Giacon, C., S. I.—*La filosofia de San Tommaso e i Seminori.* Rivista di filosofia neo-scolastica, 31 (1939), p. 341-357.

—*Le grandi tesi del tomismo.* Como, 1945.

Hedde, R., O. P.—*De l'autorité de Saint Thomas d'Aquin dans l'enseignement catholique de la philosophie.* Revue Apologétique, 38 (1924), p. 513-526.

Hocedez, E., S. I.—*León XIII et la théologie.* Gregorianum, 23 (1942), p. 375-414.

Hugon, Ed., O. P.—*Les ving-quatre thèses thomistes* [2]. París, 1927.

Jean de Dieu, O. F. M.—*Saint Thomas et les directions Pontificales.* Études franciscains, 36 (1924), p. 451-477.

Joannes a S. Thoma, O. P.—*Tractatus de approbatione et auctoritate doctrinae Angelicae Divi Thomae.* Cursus theol., t. I, p. 24-301. Parisiis, 1931.

Larumbe, Th., O. P.—*La Enciclica de Pio XI sobre Santo Tomás de Aquino y los tres grandes hechos histórico-tomistas.* Buenos Aires, 1926.

Lavaud, B., O. P.—*Saint Thomas «Guide des Études». Notes et commentaires sur l'Encyclique «Studiorum Ducem»* de S. S. Pie XI. París, 1925.

Leduc, A., O. P.—*L'Eglise et l'oeuvre doctrinale de Saint Thomas.* Etudes publiées par le Collège Dominicain d'Ottawa, p. 103-130. Ottawa, 1923.

Lépicier, Card. A. M., O. S. M.—*San Tommaso, Dottore Universale della Chiesa.* Romae, 1923.

Lumbreras, P., O. P.—*Estudios filosóficos,* cap. 3, p. 81-114. Valentiae, 1930.

Mannaioli, D., O. S. B.—*De officio adhaerendi germanae Doctoris Angelici philosophiae.* Romae, 1916.

Mattiussi, G., S. J.—*Le XXIV tesi della filosofia de San Tommaso d' Aquino approvate dalla S. Congregazione degli studi.* Romae, 1917.

—*Eccelenza dell' angelica dottrina.* Gregorianum, 5 (1924), p. 5-24.

Pégues, Th., O. P.—*Autour de Saint Thomas.* Tolosae, 1918.

—*Pourquoi donc Saint Thomas?* Tolosae, 1918.

—*De l' enseignement de la Somme Théologique dans les grands Séminaires.* Revue thomiste, nouv. série, 7 (1924), p. 391-403.

—*L' autorité pontificale et la philosophie de Saint Thomas.* Tolosae, 1930.

Piccinardi, S., O. P.—*De approbatione doctrinae S. Thomae.* Patavii, 1683.

Ramirez, J. M., O. P.—*Suma Teologica de Santo Tomás. Introducción General,* p. 88*-182*. Matriti, 1947.

Raus, I. B., C. SS. R.—*L' enseignement de la doctrine de Saint Thomas, considéré dans ses rapports avec le Code et les écoles théologiques.* Nouvelle Revue Thèologique, 52 (1925), p. 261-291, 358-880.

Revilla, A., O. S. A.—*Santo Tomás, modelo de vida y maestro de doctrina.* La Ciudad de Dios, 140 (1925), p. 492-510.

Schaezler, C.—*Introductio in Sacram Theologiam dogmaticam,* p. 224-285. Ratisbonae, 1882.

Salaverri, J., S. J.—*De Ecclesia Christi.* Sacrae Theologiae Summa, t. I, p. 757-762. Matriti, 1950.

Schultes, R., O. P.—*De Ecclesio Catholica,* p. 693-704, 721-724; *Analecta Ord. Praed.* 27 (1919), p. 261-266.

Szabó, S., O. P.—*Die Authorität des hl. Thomas von Aquin in der Theologie.* Regensburg, 1919.

Thoth, P. de.—*Della preeminenza in sè e secondo le dichiarazioni dei Sommi Pontefici Leone XIII, Pio X, Benedetto XV e Pio XI, della filosofia e teologia tomistica.* Acquapendente, 1936.

Ude, J.—*Die Authorität des hl. Thomas von Aquin als Kirchenlehrer und seine «Summa Theologica».* Salisburgi, 1932.

Villeneuve, R. Card.—*Le thomisme avant et après l'Encyclique «Aeterni Patris».* Revue Dominicaine 26 (1929), p. 273-282, 339-354, 479-496.

—*Ite ad Thomam.* Angelicum, 13 (1936), p. 3-23.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Versio anglica huius Opellae, de qua p. 5 factus est sermo, prodiit Washingtonii in *The Thomist* 15 (1952), p. 1-109, sub titulo *The authority of St. Thomas Aquinas.*

Nonnulla menda, minoris tamen momenti si unum vel alterum excipias, irrepserunt. Sunt autem huiusmodi praecipua a nobis adnotata.

Errata	Corrige
p. 15, l. 17: et	ut
p. 17, l. 18: philosophicae	philosophicas
p. 28, l, 24: cumula	cumulata
p. 63, l. 9: in	ac
p. 93, l. 4: de quibus omnis	de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis
p. 109, l. 14: ad 3	ad 2
p. 115, l. 28-29: instrumento apto	instrumentum aptum
p. 120, l. 14: a. 4	a. 6
p. 167, l. 5: simiter	similiter
p. 198, l. 11: ac esset	ac si esset

I.—INDEX PERSONARUM (1)

Aegidius Romanus, 148.
Albertus Magnus (S.), 30, 85, 148, 169, 211, 292, 294.
Alexander Aphrodis., 15.
Alexander IV, 272.
Alexander VI, 38.
Ambrosius (S.), 205.
Ammonius, 15.
Anselmus (S.), 32, 200.
Aquaviva, 231, 232.
Aristides, 190.
Aristoteles, 14, 97, 147, 170, 172, 227, 228.
Arnobius, 199.
Athanasius (S.), 199.
Athenagoras, 198.
Augustinus (S.), 14, 32, 35, 72, 123, 147, 172, 193, 199, 200, 205.
Averroes, 15.
Avicenna, 15.

Baglioli, 94n.
Bainvel, 311.
Báñez, 23.
Basilius (S.), 189, 199, 200.
Bataglini, 82.
Baudrillart, 97.
Bautain, 126.
Beckx, 231.
Benedictus XIII, 39, 205, 282.
Benedictus XIV, 40, 41, 55-56, 143, 181-183, 205, 243.
Benedictus XV, 25, 36, 96-99, 112-113, 124, 135, 152, 161n. 164n, 172, 177, 251-258, 259-260, 265, 281, 286, 291.
Berjón, 311.
Bernadot, 54.
Berthier, 233, 311.
Bessarión, 28.
Beza, 206n.
Bianchi, 42.
Billot, 117, 177, 253.
Bisleti, 97.
Boethius, 15, 20, 32, 97.
Bonaventura (S.), 148, 171, 201.
Bonnetty, 126.
Breznay, 44.
Brucker, 34.
Buzerus, 206n.

Caietanus, 23, 25, 80, 269.
Cano, 23.
Capocci, 32, 33.
Capua, 33.
Castro, 181.
Chysostomus (S.), 199.

(1) Numeri paginam, n notam in calce pag. adiectam, designant.

Cicero, 14.
Clemens Alexandrinus, 192, 198.
Clemens VI, 36, 205.
Clemens VIII, 38, 143.
Clemens XII, 205.
Coconnier, 78.
Congar, 311.
Cordovani, 19, 56n, 59, 101, 139, 311.
Contri, 311.
Cormier, 48.
Cyprianus (S.), 190.

Dantes, 98.
De Guibert, 177.
Del Gal, 95.
De Groot, 311.
Del Prado, 155n, 311.
De Maria, 88.
Deschamps, 82, 84, 136, 144.
Descoqs, 312.
D'Esplugues, 312.
Dieckmann, 312.
Dionysius, 14, 142.

Erasmus, 34.
Eustratius, 15.
Everest, 94.

Felder, 312.
Ferrariensis, 80.
Frohschammer, 126.

García, 312.
Gardeil, 23.
Garrigou-Lagrange, 23, 53, 173, 312.
Getino, 312.
Giacon, 312.
Gibbons, 82, 144.
Gillet, 65, 103.
Gilson, 172, 176n.
Girolami, 32.
González, 18n, 155n.
Goossens, 88.
Grabmann, 172.
Gregorius Nazianzenus (S.), 189, 199, 200.
Gregorius Neocaesariensis, 189.
Gregorius Nyssenus, 189, 199.
Gregorius XVI, 70.
Guidonis, 33.
Guillelmus Parisiensis, 148.

Harnack, 34.
Hedde, 312.
Hegel, 125, 139.
Heine, 86, 164.
Hermias, 198.
Hieronymus (S.), 35, 189, 193, 198, 205.
Hilarius (S.), 21, 190.
Hocedez, 312.
Hugon, 52, 57, 96, 98, 113, 124, 152, 254, 312.

Iean de Dieu, 312.
Ignatius de Loyola (S.), 223-226, 234.
Innocentius VI, 205.
Innocentius XII, 205.
Irenaeus (S.), 190, 198.
Ioannes a S. Thoma, 23, 146, 312.

Ioannes XXII, 36, 177. 243, 272.
Iustinus (S.), 190.

Kaeppeli, 33.
Kilwardby, 31.

Lactantius, 199.
Larumbe, 312.
Lavaud, 312.
Leduc, 313.
Leibniz, 34.
Leo XIII, 9, 14, 17, 21, 42-47, 50, 51, 52, 57, 70, 71-89, 96, 97, 99, 100, 112, 121, 122, 123, 126, 131, 136, 144, 147-149, 155, 158, 164, 176, 185-237, 244, 253, 255, 256, 264, 269, 273, 281, 283, 287, 290, 292, 293, 300, 307.
Lepicier, 25, 313.
Lorenzelli, 82.
Lottini, 48, 137, 145.
Luca (Ptholom. de), 25, 32, 34.
Luca, Card. de, 80, 81.
Lumbreras, 313.

Magnus, 193.
Mannaioli, 313.
Mattiussi, 94n, 313.
Mercier, 78, 102, 138, 160, 164.
Merry del Val, 94.
Moerbeck, 14, 84,
Muratori,

Nassali Rocca, 53.
Navarrete, 23.
Nazarius, 23.
Nicolaus V, 38, 205.

Optatus, 190, 198.
Origines, 190, 198.

Parocchi, 111.
Paulus V, 39.
Pazmany, 44.
Pecci, 71.
Peckam, 31.
Pègues, 48, 54, 122, 124, 177, 313.
Peillaube, 94.
Percin, 36.
Perego, 173.
Petrus Lombardus, 29, 148.
Philoponus, 15.
Piccinardi, 313.
Piccolomini, 231.
Pius IV, 38.
Pius V (S.), 38, 143, 243.
Pius VI, 41.
Pius IX, 42, 70, 71, 79, 128, 183-184, 262.
Pius X, 6, 9, 47-51, 52, 53, 89-95, 96, 97, 112, 121, 122, 132-135, 137, 138, 140, 142, 145, 146, 149-150, 155, 160, 161n, 164, 237-250, 251, 254, 255, 256, 259, 261, 262-263, 273, 277, 283, 307.
Pius XI, 6, 12, 19, 21, 22, 24, 31, 55-62, 99-102, 113-115, 133, 138, 139, 142, 158, 159-160, 164, 258-290, 291.
Pius XII, 9, 11, 62-69, 84, 95, 103-107, 115-121, 124, 126-132, 138, 140-141, 143, 150-151, 152-153, 156, 157, 161-163, 165-169, 175, 290-310.

Porphyrius, 15.
Proclus, 14.
Pythagoras, 170.

Quadratus, 189.

Rambertus dei Primadizzi, 32.
Ramírez, 313.
Raus, 313.
Revilla, 312.
Riario Sforza, 71.
Richardus a Sancto Victore, 32.

Salaverri, 69, 313.
Salmanticenses, 23.
Sanhalac, 33.
Sante Centi, 94n, 135.
Satolli, 43.
Schaelzer, 313.
Schulte, Card., 98, 172.
Schultes, 173, 313.
Seerberg, 34.
Simeoni, 43.
Simplicius, 15.
Sixtus V, 200-202, 208, 261-262, 265-266.

Soto, Dom. de, 26.
Szabó, 314.

Tempier, 31.
Theissling, 52, 98, 164.
Themistius, 15.
Thomas Aquinas (S.), passim.
Thōth, 314.
Tocco, 24, 29, 33.
Toledo, 17.
Torquemada, 23.

Uccelli, 72, 171.
Ude, 314.
Urbanus V, 37, 205.

Vallisoletanus, Lud., 15.
Velázquez, 48, 137, 145, 164.
Victoria, 26.
Victorius, 190, 198.
Villeneuve, 314.

Wolff, 34.

Zigliara, 23, 43.

Zumel, 23.

II.—INDEX RERUM ALPHABETICUS

Auctoritas doctrinalis bifarie sumitur: ex parte materiae et ex parte formae, 10. Ex parte materiae duplex: in re philosophica et in re theologica, 10. Ex parte formae iterum duplex: intrinseca et extrinseca, 10-11. Extrinseca rursus gemina: alia canonica ex approbatione et commendatione Ecclesiae, 11, 35; alia communis ex plausu et approbatione virorum doctorum, 11. Auctoritas integralis ex hisce omnibus simul sumptis coalescit, 118.

Auctoritas doctrinalis S. Thomae maxima est ac prorsus singularis omnibus modis, scilicet tum intrinseca, in re sive philosophica (12-20) sive theologica (20-34) sive in toto corpore doctrinali ex utraque coagmentato (20-30); tum extrinseca, sive canonica (35-117) sive communi (31-34). Corpus eius doctrinale sive philosophicum sive theologicum sive ex utroque conflatum, ab Ecclesia non solum prae ceteris quibuscumque approbatur et commendatur, verum etiam ab omnibus tenendum praecipitur modo perentorio quoad principia, quoad methodum et quoad systema doctrinale, 108-117, 175-177: praescribitur nempe, 45, 46, 217; praecipitur, 51, 53, 56-58, 63, 82, 103, 122, 161, 182-183, 234-235, 253-255; et quidem decretorio (62, 115, 297) et perentorio modo, 256: haec pondus habent legis, quae cunctis philosophiae et theologiae catholicis scholis viget, 63, 298; Doctoribus vero aeque ac alumnis Thomam Aquinatem sequi ducem eiusque doctrinam colere incorrupte ac tueri, lex esto, 87; que ceux donc qui s' appliquent à l' enseignement et à l' étude de la Théologie et de la Philosophie, considerent comme leur devoir capital de suivre saint Thomas d' Aquin et de le cultiver comme leur maitre et leur chef, 86-87. Ex eo cetera systemata doctrinalia examinanda et diiudicanda, 102. Aliae aliorum scriptorum doctrinae ab Ecclesia approbatae vel commendatae, eatenus commendatae et approbatae intelliguntur, qua cum doctrina S. Thomae cohaerent

vel ei haudquaquam repugnant, 93, 241. Aquinatis corpus integrum doctrinale philosophico-theologicum Ecclesia suum proprium edixit esse, 55, 56, 59.

Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris Angelici res aliena est a voluntate Ecclesiae, eademque plena periculis, 122, 236; Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse, 238, 93, 257, 102 Aquinatem enim deserere, in re philosophica praesertim et theologica, non sine magno detrimento esse potest, ipsum sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem, 112; qui a Thoma discedunt, iidem videntur eo ad ultimum agi, ut ab Ecclesia desciscant, 122.

Disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad conformandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque, 81, 220; non est dura neque tyrannica, sed suavis et humana, simulque prudens ac firma, siquidem mentibus non modo vim affert nullam, sed immo pabulum exhibet incorruptum et salutare, 176, ac tuto investigationem dirigit, 165, 221, 291.

Docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur, mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur, non sine magno scientiae christianae detrimento, 42-43, 50.

Doctrina ipsa Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet, 35; doctrina theologica et sanctitas vitae comparantur, 28, 35.

Magisterium Ecclesiae ad res philosophicas extenditur indirecte et ratione veritatum theologicarum, 11, 35-36; ne quid detrimenti ex placitis philosophorum non rectis catholica patiantur dogmata, 307.

Philosophia tamdiu est Sapientia quamdiu est subiecta

sapientiae divinae; sed quando recedit a Deo, tunc vertitur in insipientiam, 70. Illa est philosophandi ratio optima, exquirere meditando nova, unaque simul sapientiam veterum non relinquere, 158. Ex ea recta aliorum scientiarum ratio magna ex parte dependet, 72, 186. Momentum eius in vita cum privata tum publica, 73. Ad eam spectat sternere viam ad fidem catholicam, ipsamque ab impugnatoribus defendere, et adiuvare ad veritates fidei penitius intelligendas atque explicandas, 72, 73-75, 188-194. Studiorum sacrorum fundamentum ponatur, 239. Philosophiam inter et revelationem arctissima cognatio intercedit. Unde sequitur, ex inscio imperitoque philosopho fieri numquam doctum theologum posse; et qui divinarum rerum sit prorsus ieiunus, perfecte philosophari nullo pacto licere, 114, 283. Perpetuus et multiplex requiritur philosophiae usus, ut sacra Theologia naturam, habitum ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat, 191. Nihil philosopho utilius quam naturae arcana diligenter investigare et in rerum physicarum studio diu multumque versari, 211. Qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur, 86, 195.

Philosophia S. Thomae: aurea, 76; aptissima omnium in ratione philosophandi, quam cuncti vel in docendo vel in discendo ingredi debent, 82; certissima, 82; ceteris conformior Ecclesiae magisterio, 76, 304; eius persequi vestigia tanti refert quanti sapienter philosophari, 82; ea nulla aptior ad veritatem assequendam, nulla efficacior ad gliscentes errores profligandos, 77; ex ea diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur, 102, 289; eius prae ceteris soliditatem atque excellentiam curent magistri in perspicuo ponere, 77, 256, 300; eius exemplum aemulandum in philosophorum doctrinis examinandis, atque in usum sacrae theologiae convertendis, 169-176; sanior ceteris, 76; securior, 76; solidior, 77, 256; tuta, ac prae ceteris ab Ecclesia commendata, 96; tutissima, omni procul periculo transiliendi fines veritatis, 87; verissima, 82; universalissima, siquidem nulla est philosophiae pars quam non acute simul et solide pertractarit, 16-20, 203; christiana sive secundum Christum, 18, 96, 257; eminenter obiectiva, 19; pe-

rennis et in aevum duratura, 103, 160; omnino sancteque ab omnibus tenenda, praesertim quoad principia et pronuntiata maiora, 102, 122, 160, 227, 232-233, 237-238, 258-261; qui vere philosophari volunt, primordia et fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant, 100.

Ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequit sublimius assurgere, neque fides a ratione potest plura aut validiora adiumenta praestolari quam quae iam est per Thomam consecuta, 203, 256; rationis triplex usus in Theologia, 73-75, 187-193.

Summa Theologica et **Summa contra Gentiles** omnibus pernecessariae qui in Theologia et Philosophia serio versantur, et aliquid volunt dignum iis disciplinis attingere, 43; Summa Theol. est liber textus per excellentiam (43), qui e manibus studentium excidere non debet, 237, 253; haberi debet uti textus praelectionum in Universitatibus et Facultatibus theologicis, 49-50, 53, 242-245, 252, 263; la Somma Teologica è il cielo veduto dalla terra, e la Somma contra Gentiles è la terra veduta dal cielo, 62; in Summa contra Gentiles S. Doctor divite vena thesauros penitioris philosophiae effundit, et arma praebet ad refellendos nostri temporis errores peropportuna, 72

Theologia est scientia maxime una, 28; Theologia S. Thomae est vera scientia quin desinat esse affectiva et secundum pietatem, 30; ad summum perfectionis gradum est evecta per Aquinatem, 22, 278; in theologicis doctrinis dux et magister ab omnibus semper habeatur Aquinas, 36-58, 261-263; maxima vis doctrinis philosophicis ac theologicis ad Angelici Doctoris rationem tribuenda est in sacrorum institutione alumnorum, 117, 50-51, 309.

Thomas Aquinas (S.): eius dotes, encomia, tituli. Professores et alumni animum afferre debent plenum amoris et studii erga S. Thomam, 122-123, 291; Apostolo Paulo comparatur, 32; arca est philosophiae et theologiae, 32; caelestis sapientiae gazophylacium, 37; clarissimum Ecclesiae lumen, 38;

christianae religionis clypeus, 41; Doctor Angelicus, 47, 64, 65, 273, passim; Doctor Communis sive Universalis Ecclesiae, 33, 55, 94, 65, 273, 293, 306; Dottore di tutta la Chiesa, di tutta la scienza, di tutto lo scibile, 61; Doctor Eucharisticus, 60, 281; Doctor doctorum, 32; Dux et Magister studiorum omnium, maximeque theologicornm, 47, 52, 64, 266; di tutti gli studi, e nel metodo di tutti gli studi, 61; Dux omnium tutissimus, 80; et peritissimus, 63, 299; cuius ore loquuntur omnes qui aliquid intellexerunt, 32; eminet inter omnes, quem in variis scientiarum studiis catholici homines intueantur, 79; excitatus est divinitus ut haberet Ecclesia quem doctrinae magistrum maxime in omne tempus sequerentur, 54; exemplar philosophorum, 32; firmum Ecclesiae praesidium, 41, 298; flos doctorum, 31; gemma morum, 31; in eo relucet integritas vitae cum splendore virtutum maximarum, 68, 215; in eius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae, 36: inter omnes philosophiae scholasticae cultores incomparabilis palma ei reservatur, 103, 131-133, 308; inter sanctos doctissimus et inter doctos sanctissimus, 28, 59, 78; in sacris litteris facile princeps, 44; le plus grand génie du moyen age, 67; lucerna theologiae, 32, 38; luminare maius Ecclesiae, 31; modello, maestro, dottore, patrono et protettore di tutte le scuole, 59; neminem parvipendit, sed omnes officiose et perhumaniter demeretur, 41, 84-85; nullus Ecclesiae Doctor modernistis ceterisque fidei catholicae hostibus ita est terrori ac formidini ut Aquinas, 100; omnium theologorum princeps, 28; opus a S. Alberto incoeptum renovationis et solidificationis divinae humanaeque scientiae complevit et ad perfectum adduxit, 30; plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii doctores, 36; qui a Thoma discedunt in re praesertim theologica, ultimo ab Ecclesia desciscunt, 48; Scripturarum puteus, 32; splendidissimus athleta catholicae fidei, 39; stella matutina in mundo praeeminens, 31; Sol Ecclesiae, 40; Sol doctrinae, 41; Scholae princeps, 98; sobrio et solido sermone loquitur, 68, 83-84; summo nisu intelligentiae ac religiosa pietate vera perdidicit, 68; theologorum antesignanus et princeps, 41, 46; inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas, 202, 215; tot fecit miracula quot scripsit articulos, 36; vir

humanis divinisque disciplinis ad plenum imbutus, 79; vir incomparabilis, 206.

Eius doctrina: ab ea ne latum quidem unguem recedere, summa laus, 48, 52; aperta omni veritati undecumque veniat, 154-156; aptedisposita etad omnium temporum necessitates apta, 215-216, 290; certissima regula christianae doctrinae, 38, 39; firmissima, 69, 83, 163, 299; frugifera et utilima ad omne tempus et ad omnes necessitates, 45, 47; incorrupta, 79, 226; integra, 51; invicta, 83; luculentissima, 47; prae ceteris omnibus ab Ecclesia approbata et commendata, 87, 202; condignis laudibus efferri nequit pro magnis suis in Ecclesia meritis, 40: ab omnibus firmiter sancteque tenenda, 40, 181-183, 49, 51, 139-143, 162, 264-266, 293; probatissima, 49; ordinatissime explicata, 44, 294; pura, 51, recta, 46; sana, 51, 62; secura, 47; saluberrima, 69, 163, 299; solidior ceteris, 39, 44-45, 295; tutior et securior ceteris, 37-38; immo et omnium tutissima, 48, 143-148; nec sane tutior ulla haberi potest institutio quam quae ducem sequatur et magistrum Thomam, 145; validissima, efficacissima, 42, 43, 45, 63-64, 83, 101; in seipsa et ad omnes errores pervincendos nihil ea solidius aut fructuosius optari potest, 222; verissima, 37, 39, 182, 205-206; dai suoi libri attingete sempre la verità, 62; in omnibus Conciliis oecumenicis post eius transitum celebratis interfuit cum suae doctrinae opibus, ac pene praefuit, 42; eius doctrinam Ecclesia suam propriam edixit esse, 55, 56, 59, 274.

III.—INDEX RERUM SYNTHETICUS

	Pág.
Praefatio..	5
Introductio	9
CAPUT I.—Auctoritas scientifica Doctoris Angelici	12
Art. 1.—In re philosophica	12
Art. 2.—In re theologica	20
CAPUT II.—Auctoritas doctrinalis canonica Doctoris Communis Ecclesiae..	35
Art. 1.—In re theologica	36
Art. 2.—In re philosophica	70
CAPUT III.—De auctoritate integrali totius corporis doctrinalis S. Thomae.	108
CAPUT IV.—De valore auctoritatis integralis totius corporis doctrinalis S. Thomae, deque obligatione eam suscipiendi	118
Art. 1.—Vitandi errores per defectum..	118
Art. 2.—Arcendi errores per excessum.	146
Art. 3.—Iusta mediaque via tenenda...	157
APPENDIX: Documenta	181
I. **Benedictus XIV:**	
Ex Brevi «Saluberrima»	181
II. **Pius IX:**	
Ex Epistula «Si tristissimis»	183

Pág.

III. **Leo XIII:**

1. Litterae Encyclicae «Aterni Patris».... 185
2. Breve «Cum hoc sit»............... 214
3. Ex Instructione S. Ç. de Propag. Fide ad Vicarios Apostolicos Sinarum....... 219
4. Ex Litteris Encyclicis «Officio Sanctissimo»...................... 220
5. Breve «Gravissime Nos».......... 222
6. Ex Epistula «Nostra erga».......... 236
7. Ex Litteris Encyclicis «Depuis le jour». 237

IV. **Pius X:**

1. Ex Motu proprio «Sacrorum Antistitum»........................... 237
2. Ex Epistula «Sollicitis Nobis»........ 238
3. Motu propio «Doctoris Angelici».... 238
4. Declaratio S. C. de Sem. et Stud. Universitatibus, qua theses quaedam in doctrina S. Thomae Aquinatis contentae et a philosophiae magistris propositae, adprobantur 245

V. **Benedictus XV:**

1. Responsio S. C. de Sem. et Stud. Univ. ad excitata quaedam dubia circa Motu proprio «Doctoris Angelici» et circa XXIV theses philosophicas a S. C. Stud. recognitas et adprobatas............. 251
2. Ex Epistula Card. Bisleti, Praefecti S. C. de Sem. et Stud. Univ. ad Alfredum

Pág.

Baudrillart, Rectorem Inst. Cath. Parisiensis.......................... 252
3. Ex Codice Iuris Canonici........... 255
4. Ex Decreto S. C. de Sem. et Stud. Univ. «Ordinamento dei Seminari» ad Italiae Episcopos.................. 256

VI. **Pius XI:**

1. Ex Litteris S. C. de Sem. et Stud. Univ. »Vixdum haec Sacra Congregatio» ad Episcopos Germaniae............. 258
2. Ex Epistula Apostolica «Officiorum omnium» ad Praefectum S. C. de Sem. et Stud. Univ........................ 264
3. Litterae Encyclicae «Studiorum Ducem» 266
4. Ex Epistula Apostolica «Unigenitus Dei Filius» ad Summos Moderatores Ordinum Regularium 287
5. Ex Constitutione Apostolica «Deus scientiarum Dominus»............. 289
6. Ex S. C. de Sem. et Stud. Univ. ordinationibus ad praedictam Constitutionem rite exequendam 290

VII. **Pius XII:**

1. Ex Sermone habito ad alumnos Seminariorum, Collegiorum et Institutorum utriusque cleri atque ex omni gente, qui in alma Urbe ad Sacerdotium efformantur 290

Pág.

2. Ex Epistula «Quandoquidem» ad Rmum. Magistrum Gener. Ord. Praed. 292
3. Ex Allocutione ad Patres Soc. Iesu in Congregatione XXIV electores 294
4. Ex Allocutione ad Patres delegatos ad Cap. Gener. Ord. Praed........... 296
5. Ex Praefatione Missae S. Thomae Aquin. iuxta ritum Ord. Praed............ 299
6. Ex Epistula S. C. de Sem. et Stud. Univ. ad Card., Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae........................ 300
7. Ex Encyclicis Litteris «Humani generis»........................ 302
8. Ex Allocutione ad eos qui interfuerunt tertio thomistico internationali conventui Romae habito 307
9. Ex Adhortatione Apostolica «Menti Nostrae» de sacerdotalis vitae sanctitate promovenda.................. 309

Notula Bibliographica................. 311
Addenda et corrigenda.................. 315

Indices:

1. Index personarum............. 317
2. Index rerum alphabeticus analyticus . 321
3. Index rerum syntheticus............. 327

IMP. "CALATRAVA"-SALAMANCA
LIBREROS, 13 TELÉF. 4118